DISPUTATIO JURIDICA

INAUGURALIS

AD ORATIONEM M. TULLII CICERONIS

PRO

CN. PLANCIO.

QUAM,

SUPREMO FAVENTE NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GABRIËLIS VAN OORDT,

TH. DOCT. ET PROF. ORD. ET CONCION. ACADEM.

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN UTROQUE JURE HONORIBUS ET PRIVILEGIIS, RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILLELMUS DE MAN,

NEOMAGO-GELRUS.

DIE XI. NOVEMBRIS MDCCCIX. H. L. Q. S.

TRAJECTI AD RHENUM,

Ex Officinis OTTON. IOANN. VAN PADDENBURG

ET J. VAN SCHOONHOVEN,

ACADEMIAE TYPOGRAPHORUM.

VIRIS CONSULTISSIMIS, AMPLISSIMIS

JACOBO DE MAN,
J. U. D.

DUCATUS GELRIAE ET COMITATUS ZUTPHANIAE CURIAE QUONDAM SENATORI ORDINARIO

NUNC

QUI REGIONI, QUAE EST INTER MOSAM ET VAHALIM, PRAESUNT, AB ACTIS ET DECRETIS.

PATRI OPTIMO CARISSIMO,

ELIAE CAROLO D'ENGELBRONNER,
J. U. D.

QUONDAM SCHOLARUM BOEMELIENSIUM

NUNC

GYMNASII MEDIOBURGENSIS RECTORI MERITISSIMO,

LITERARUM ET JURIS PRAECEPTORI AMANTISSIMO

HOC PIETATIS DOCUMENTUM OFFERT,

AUCTOR.

P R A E F A T I O.

Cum mihi omnis vita ſine Literis mors videtur, et hominis vivi ſepultura, tum in primis jurisprudentia et bonae literae ita arcte inter ſe aptae et nexae videntur, ut qui alteram ab altera divellat, utramque nobis leto daturus exiſtimetur, et qui a juris ſtudio Literas ſegreget, aut a Literis antiquis ſtudium juris Romani ſejungat; Literas utilitate et fructu maximo, juris ſtudium venuſtate et amoenitate privet ſua, ac deſtituat.

Ego ſane per quadriennium, Literas et Jurisprudentiam ita colui, ut nusquam mihi Jurisprudentiam ſine literarum adjumento, nusquam literas ſine jurisprudentiae emolumento tractarem. Et cum ea mente ſemper fuerim, facile est ad intelligendum, tale mihi maxime placuisſe ſcribendi argumentum, quod conjunctionis ejus et fructum aliquem ederet, et documentum haberet. Navatae igitur et literis, et juris ſtudio a me adhuc operae, quandoquidem

in eo eramus, ut jam aliquod periculum faceremus, Ciceronis Orationem pro Cn. Plancio potissimum sumsimus explicandam, quae et Literarum studia adamantem, summi Oratoris admiratione facile percellat, et populi orbis terrarum Domini jura cognoscere cupienti, cognitionis incrementum haud poenitendum praebeat, si quidem caussa, in qua versatur haec Oratio, et parum tractata, et tractatu digna, et scitu jucundissima est.

In ea autem explicanda non ita versati sumus, ut quidem volebamus, sed utcumque poteramus; et cum sodalitii crimine Plancium incusaverit Laterensis, eoque crimine Plancium purgare studuerit Cicero, non solum id egimus, ut de sodalitio diligentius explicaremus (quamquam id quidem in primis egimus) sed de accusatore etiam et reo enucleatius nonnulla praemoneremus. Atque hanc quidem digressionem, etsi fortasse a re nonnihil sejunctam, tamen interposuimus, quod scilicet usu cognoscamus, quantum intersit ad bene intelligendum scriptoris cujuslibet argumentum, ipsos homines cognosse, qui vel colloquentes inducuntur, vel quorum caussa agitur. Nam, ut hoc utar, ecquis ad verum Ciceronis de Natura Deorum, de Divinatione, de Finibus, similiumque Dialogorum intellectum unquam perveniat, nisi qui singulos interlocutores habeat cognitos? sed quo melius intelligatur quod volo, verba adscribam clarissimi Wyttenbachii (a), *quo*


(a) In Epistola praemissa specimini in Platonem, quod ante Sexennium edidit Cl. van Heusde, *p. XXXIX.*

quo nemo melior auctor appellari potest, nemo testis locupletior. „ De uno etiam, *inquit*, indice monendum „ generis Historici illius, quo continentur nomina „ propria hominum, non modo scriptorum, sed alio„ rum qui vel colloquentes inducuntur, vel alia qua„ cumque caussa memorantur. Horum nomina et res, „ cum ex Platone, tum aliunde colligendae, et ad „ quamdam notitiae perspicuitatem constituendae sunt: „ veluti in Prosopographia Codicis Theodosiani fa„ ctum a magnis viris Jac. Gothofredo et D. Rittero. „ Habet haec opera magnum momentum cum ad au„ ctoris intelligentiam tum ad multos Historiae locos „ explicandos." *Et habet sane quam maximum momentum ad Orationis, quam tractaturi sumus intelligentiam; quare etsi magis inchoavimus, quam perfecimus, strenue secuti, haud adhuc assecuti sumus institutum, quod laudat, et commendat* Wyttenbachius, *V. cl., illud tamen speramus fore, ut aequi rerum existimatores facultatum inopiam, voluntatis non contemnendae laude compensent, mihique non nimis severos sese animadversores praebeant, et aliquid tandem Juvenili aetati indulgeant.*

Et quamquam haud ignorem, Ciceronis Orationem pro Cn. Plancio notis illustravisse F. Sylvium Ambianum, Bartholomaeum Latomum, Antonium Luschum, Michaëlem Toxitam, Joachimum Camerarium, *et item alios; tamen ex his adjutoribus uti aliis non licuit, quam unius Luschi notis, atque iis quos editio Graeviana exhibet.*

Ce-

Ceterum diligenter adſcripſi, quoscumque auctores ſecutus ſum, non ut multiplicis lectionis captarem famam, ſed ob eam unice cauſſam ut opinionibus meis firmamentum adderet ac robur magnorum virorum ſuffragatio. Vale L. B. et indulgenter me habe.



EXOR-

EXORDIUM.

Nihil est tam decantatum, nihil tam cognitum omnibus, ac pervulgatum, ſive juriſperitis, ſive oratoriâ laude excellentibus viris, ſive denique Philoſophiae cultoribus, quam, Marcum Tullium Ciceronem, conſulem Romanum, omnibus ingenii dotibus, omnibus animi virtutibus inſtructum, civem optimum, patrem patriae, inſtauratorem Reipublicae exſtitisſe; cujus ego laudes, ſi coner celebrare, non ſolum ſupervacaneum opus aggresſurus, ſed etiam vires meas juveniles, nequidquam impenſurus videar, cum jam a multis viris doctis, Marci Tullii laudum praeconiis ſatisfactum esſe arbitrer. Quare potius cum de Ciceronis oratione pro Plancio, qualemcumque conſcripturus ſim Disputationem, non equidem de Ciceronis vita aut ſcriptis quidquam explicabo, ſed hoc unô defungar; ut hanc Orationem non tantum luculentisſimum eloquentiae Ciceronis exemplum proponam, ſed manifestum etiam documentum, non magis doctum, et eruditum, quam bonum virum fuisſe Ciceronem; qui cum in reliqua vita, tum et in hac Plancii cauſſa defendenda, oſtenderit, omnibus ſe praeclaris animi virtutibus abundasſe, beneficiorum in primis nunquam immemorem ab aliis acceptorum: Nam licet Cicero ſummis ſaepe fuerit afflictus calamitatibus, ſemper grati animi ſignificationem, omnibus, qui vel aliquantulùm ipſi profuisſent, oſtendit, et, ſi qua ratione posſet, ſemper amplisſime rependit; Quis enim est, qui non ſine animi quadam quaſi voluptate legat orationes, quas habuit *ad Quirites*, et *in Senatu post reditum* (1), aut tam multas in libro XIII. Epiſtolarum Di-

(1) Non equidem ignoro esſe, qui has Orationes Ciceroni abjudicent, ſed nobis quidem Gesneri viri ſummi, asſerentis eas Ciceroni, rationes, longe, multumque antistare viſae ſunt acutis concluſiunculis, qui-

Diversorum Epistolas, in quibus omnibus summis illis viris, qui sive in exilio, sive in consulatu, aut alio quovis vitae tempore ei profuerint, verissime gratias egit. Imo quis Ciceronem, non ob grati animi virtutem merito laudandum putet, cum vel solam pro Plancio Orationem legerit, ubi omnes eloquentiae nervos intendit, ut boni oratoris munus, amici fidem, gratique hominis officium custodiat.

Quare quemadmodum alii calumniatores, alia Ciceroni vitia affinxerunt, de quibus, ut qui maxime fuit immunis, ita etiam ingrati animi notam plane immerito ac falso ipsi inurere conati sunt, itemque male dictis et factis inconstantem eum perhibuerunt (2).

Sufficiant haec jam de Cicerone, cujus vitam tot tantique viri tam veteris quam recentioris aevi ferme ex instituto enarravere, ut nobis ejus commemorandae otium fecerint.

---

quibus, spuriam harum Orationum auctoritatem esse, pervincere voluerunt Marklandus et Wolffius.

(2) Cf. A. Schottus *Cicero a calumniis Vindicatus Cap.* 4.

JURIDICA.

CAPUT PRIMUM.

DE PERSONIS, QUORUM CAUSSA DISCEPTATUR.

§ I.

De Cn. Plancio.

Videamus nunc primo de eo, cujus causſam Cicero hac oratione tutatus ſit; deinde contra quem eum debuerit defendere, ſeu de perſonis quorum causſa disceptatur, id est, de Cn. Plancio en M. J. Laterenſi. De utroque ſeorſum agemus; ac ſtatim quidem de nomine *Plancii* non est quod multa disputem. Plancium et Plancum ſaepe apud veteres auctores permutari ſatis conſtat, (1) et ut quidam Cicerones, Rufi, Longique ex habitudine corporis ſunt dicti, ita quoque Planciae gentis nomen ſecretioris fuit originis (2). Natus est Cn. Plancius ex Atina urbe Volſcorum, vel certe ex praefectura Atinate, quae erat fortisſimorum ita referta virorum, ut nulla tota Italia frequentior dici posſet (3). Patrem habuit publicanum, equitem Romanum; et eâ quidem equestris ordinis vetuſtate, ut pater, ut avus, ut majores ejus omnes fuerint equites Romani (4), ſummum in praefectura florentisſima

(1) Ita docent interpretes ad Ciceronis *Philipp. VI. C.* 4.

(2) Cf. Quintil. *Inſt. Orat. I. c.* 4.

(3) Cicero *pro Plancio c.* 8. Cluverus *Introductio in Geographiam Lib.* 3. *Cap.* 27. § 6.

(4) Livius *Lib. XXX. C.* 10. Cicero *pro Caj. Rabirio Postumo c.* 2. *init. Ibique interpr. Epiſt. Diverſ. L. XIII. Ep.* 10. P. Burmann *de Vectig. Populi Rom. C.* 9. add. C. Sigonius *de Antiq. jure Civium Rom. L. II. c.* 4.

ſima gradum tenuerint et dignitatis, et gratiae, qui et ipſe in legionibus P. Craſſi (5) imperatoris inter ornatisſimos homines, equites Romanos ſummo ſplendore fuit, ita quidem, ut poſtea princeps inter ſuos plurimarum rerum ſanctisſimus et justisſimus judex, maximarum ſocietatum auctor, plurimarum magister (6), ſit habitus, et non modo in eo nihil unquam fuerit reprehenſum, ſed laudata ſint omnia (7). Publicanorum ordinis ſtudium in honore Plancii patris fuit plane ſingulare, quod erat pater is, qui jam diu princeps publicanorum extitisſet, et a ſociis unice diligebatur, non ſolum quod diligentisſime rogabat, ſed et quod illi in ornando, ordinem ſe ornare, et conſulere liberis ſuis arbitrabantur (8). Ceterum Cn. Plancii pater fuit vir calidus, fervidique animi, nam asperius imo fortasſe liberius aliquando aliquid locutus est de Republica, quamobrem cum reprehenſus esſet a nonnullis, Cicero hanc reprehenſionem ita diluit, ut etiam ei in laudem converteret (9).

Quando Cn. Plancius natus ſit, aut diem ſupremum obierit invenire non potui, Ciceronum, Lentulorum, Torquatorum, aliorumque tunc temporis in Republica clarorum virorum fuisſe aequalem, vix est quod moneam. Uti vero Plancius equitis Romani filius pueritia atque adolescentiâ ſuâ omnibus illis ſtudiis atque doctrinis fuerit eruditus, quae Romanae juventuti impertiri ſo-

(5) Cf. Manutius *in notis ad Cap.* 13. *Orat. pro Plancio.*

(6) *Auctor — magister* cf. ad haec verba Ernestus *in clave Ciceroniana in Indice Latinit. in voce* auctor *No.* 10. Cicero *Verr. II. C.* 70. *III. C.* 7 *ibiq interpp.* idem Ernestus *l. c. in voce* Magister.

(7) Sunt verba Ciceronis *in Orat. pro Plancio Cap* 13.

(8) Cf. *Orat. pro Planc.* C. 9. ibiq. Manutius *aliiq. interpp.*

(9) Cf. *Oratio pro Plancio C.* 13, 14, 23. Ceterum non mirum est, Plancium patrem a ſociis ſuis unice fuisſe dilectum, quippe primus legem ſcivit *de Publicanis tertia parte pecuniae debitae relevandis*, quaeque a Caeſare lata, *lex Julia de Publicanis* dicta est, qua lege ſibi equestrem ordinem adjunxit Caeſar: uti patet *ex hac oratione pro Plancio ll. cc. ibique interpp.* Suetonius *in Caeſare C.* 20 C. Sigonius *de Antiquo Jure Civium Romanorum L. II. C.* 4. *in fin.* Ernestus *in Clave in Indic. Legg. in* lege Julia de Publicanis.

ſolebat; ſic quoque, ut alii nobiles adoleſcentes, qui cum praetoribus etiam in provincias exibant, ut rerum uſu mature inſtruerentur (10), adhuc adoleſcentulus **Plancius** cum Aulo Manlio Torquato, qui A° U. C. DCLXXVI. Africae Praetor erat creatus in provinciam profectus eſt, ita ab illo praetore dilectus eſt, ut et contubernii neceſſitudo, et adoleſcentuli modeſtiſſimi pudor poſtulabat: quod magnum argumentum virtutis Plancii fuit, quippe Aulus Manlius Torquatus erat vir graviſſimus, et ſanctiſſimus, atque omni laude et honore digniſſimus, qui profecto non inmerito noſtrum Plancium tanti aeſtimaverit (11).

Praeterea in hac juvenili aetate non parum gloriae in Africa conſecutus videtur Plancius, cum vix ex illa Provincia redux, Quintum Caecilium Metellum, qui in Cretam inſulam potiundi ejus cupiditate, proficiſcebatur, cum Saturnino contubernali (12), et propinquo ſuo, miles A°. U. C. DCLXXXIV. ſecutus eſt (13), omnibusque ſive ipſi imperatori, ſive legatis fuit probatiſſimus, omnesque de ejus aſſiduitate teſtimonia dederunt, nec dubium eſt, quin et Cn. noſter Plancius gloriae, quâ et Metellus ſibi immortale *Cretici* nomen adeptus eſt, aliquomodo particeps fuerit, certe non diu poſtquam Metellus de inſula Creta triumphavit, Romamque rediit, novos honores adeptus eſt Plancius. Cum enim Cajus Antonius in Macedonia proconſul erat, ſive anno Urbis Conditae DCLXXXIII M. Meſſala et Piſone coſſ. Plancius in eadem Provincia Macedonia tribunus militum fuit (14). Cum enim aliqui Antonium de Provincia Macedonia revocatum volebant, quod pecunias inique a ſociis cogeret, Ciceronemque hoc crimine commaculas-

(10) Manutius *ad Ep. Ciceron. Diverſ. L. V. Ep.* 20. *ibique cc. aa.*

(11) Cicero *Orat. pro Plancio C.* 11. Manutius *ad Epiſt. Cicer. Diverſ. L. VI. Ep.* 1. ubi plura de illo Torquato dicta inveniuntur.

(12) De contubernalibus cf. Manutius *ll. cc.* Cf. C. Sigonius *de antique Jure Provinciar. L. II. C.* 2.

(13) Cicero *pro Plancio C* 25. Florus *L. III. C.* 7.

(14) *Orat. pro Plancio C* 25. *Epiſt. ad Attic. L I. Ep.* 12. quae epiſtola ad hoc tempus eſt referenda, uti patet ex argumento *L. I. Epiſt. ad Attic.*

asſent, ita Tullius ad amicum ſuum ſcribit Atticum: „ *Libertum ego habeo ſane nequam hominem. Hilarum dico, ratiocinatorem, et clientem tuum. De eo mihi Valerius interpres nuntiat, Chiliusque ſe audisſe ſcribit haec; esſe hominem cum Antonio; Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quaeri et a me cuſtodem communis quaeſtus libertum esſe misſum. Non ſum mediocriter commotus: neque tamen credidi: Sed certe aliquid ſermonis fuit, totum investiga, cognosce, perſpice, et nebulonem illum, ſi quo pacto potes, ex istis locis amove. Hujus ſermonis Valerius auctorem Cn. Plancium nominabat. Mando tibi plane, totum ut videas cujusmodi ſit.*" Ubi veroſimillimum est de Plancio Tribuno Antonii fieri mentionem (15).

Postea in eadem Provincia Macedonia quaestor fuit, Piſone et Gabinio Coſſ. A°. U. C. DCLXXXXV. cum Lucius Apulejus hujus Provinciae praetor erat, quique Plancium tanti faciebat, ut morem illum majorum, qui praeſcribebat in parentum loco quaeſtoribus ſuis praetores esſe oportere, officiis benivolentiaque ſuperaverit. Neque enim Lucius tantum Apulejus, ſed etiam tota illa Provincia Macedonia mirum eum in modum dilexit (16). Incidebant tunc infelicisſima illa tempora, cum et ſceleratisſimi homines, et audaces in Rempublicam, et in omnes bonos conceptum odium, in unum Ciceronem videbantur voluisſe effundere, cum domus incenſa Ciceronis, bona publicata, praedia direpta ſunt, et lex de ejus exſilio fuit perlata. — Quod ſi ego Plancii laudes enarrare vellem, hoc unum tantum commemorandum foret in Plancio tunc omnem Ciceronis ſalutem fuisſe poſitam. Theſſalonica urbs caput Macedoniae, Ciceroni tunc in calamitate ſua fuit perfugium, et unus Plancius custos et quaſi propugnator asſiduus calamitoſi fuit viri. Nam omnibus provincialibus ornamentis commodisque depoſitis, totam ſuam quaesturam in Cicerone ſuſtentando et conſervando collocavit (17). Cum enim Cicero ex illo

(15) Cf. *Orat. pro Plancio. C.* 11. *in medio.*
(16) Cf. Cicero *pro Plancio C.* 11, 25.
(17) Cf. Cicero *pro Plancio C.* 10. *Post Reditum ad Quirites C.* 14.

illo incendio legum, juris, senatus, bonorum omnium cedens, cum sua domus ardore suo deflagrationem urbi atque toti Italiae minaretur, Siciliam petiisset animo, quae et ipsa ei, ob vetustam cum C. Virgilio amicitiam, sibi videbatur conjunctissima, spes tamen fefellit; nam cum Sicilia eum recipere vellet, praetor tamen eum recipere noluit (18), tum consilio repente itineris mutato a Vibone Brundusium terra petiit, ibique in navi tuta ac fideli collocatus Dyrrhachium profectus est, et in Macedoniam perrexit. Hic vero Plancius simulac mare transiisse Ciceronem cognovit, et Dyrrhachium attigisse audivit, statim ad eum lictoribus dimissis, insignibus abjectis, veste mutata profectus est, reliquosque dies omnes et noctes a Cicerone non recessit, eumque Thessalonicam in quaestorium perduxit (19). Pervenit autem Cicero Thessalonicam a. d. X. Kal. Junii, (20) ibique toto fere exsilii tempore apud Plancium fuit, unde plerasque Epistolas ad Atticum, quae in Libro 3° Epistolarum ad Atticum inveniuntur, scripsit, et aliquot etiam ad uxorem liberosque suos, uti Epistola secunda Libri XIV. Diversorum. Et licet Cicero sive spe ad urbem revertendi fretusque Lentuli amicitia, quo consule etiam postea de reditu in senatu actum fuit, sive aliam ob caussam, ad finem mensis Novembris Thessalonica iterum se Dyrrhachium recepit, et non, nisi invito quidem Plancio; cum enim Cicero jam mense sextili hoc consilium fovisset, quum celebritas urbis, minime apposita esset, ad tolerandam in tanto luctu calamitatem, tamen Plancius suis eum retinuit officiis, ut scribit ad Atticum Cicero (21).

At-

(18) Cf. *Orat. pro Plancio C.* 40. S. Corradus *in quaestura p. m.* 161.

(19) Cf. *Orat. pro Plancio C.* 41. *ibique interpp.*

(20) Cf. *ad Atticum L. III. Ep.* 8.

(21) Cf. *Epist. ad Atticum L. III. Ep.* 14. Fortassis etiam huc referendus est locus Ciceronis in Oratione *pro Plancio c.* 41. „ *Cn. Plancius* „ *fuit unus non qui minus timeret, sed si acciderent ea quae timerentur,* „ *mecum ea subire et perpeti vellet.*" Cet. quae omnino hic sunt conferenda.

Scripsit etiam Cicero a. d. VI. Kal. Decemb. ad uxorem suam (22). ,, *Plancius homo officiosissimus, me cupit esse secum, et adhuc me retinet. Ego volebam loco magis diserto esse in Epiro, quo neque Hyspo veniret, nec milites, sed adhuc Plancius me retinet. sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat.*" Ibi restitutionis consilii maturitatem jam quasi appropinquantem Cicero suamque salutem verbis ,, *sperat posse fieri ut mecum in Italiam decedat*" significare voluisse videtur, et Plancius sibi magno honori fore sperabat, si Ciceronem in urbem redeuntem comitari potuisset. Cum enim quaestores in annum crearentur, (23) videtur quoque Plancio proximum jam fuisse tempus, quô sibi ab alio quaestore succederetur, et hinc ei spes una cum Cicerone Romam redeundi orta fuisse. Eodem quoque die i. e. VI. Kal. Decemb. A°. U. C. DCLXXXXV. in eandem sententiam ad Atticum scribit (24). *Me adhuc Plancius liberalitate sua retinet, jam aliquoties conatum ire in Epirum, spes homini est injecta, non eadem, quae mihi, posse nos una decedere: quam rem sibi magno honori sperat fore. Sed jam cum adventare milites dicerentur, faciendum nobis erit, ut ab eo discedamus.*

Quid porro Plancius in exilio Ciceroni praestiterit, quomodo eum custodiverit, omnia ab eo pericula, quoad ejus fieri posset propulsaverit, quomodo pro eo propugnaverit, vel sola pro Plancio Oratio satis superque declarat, atque commonstrat; in qua Oratione, si quis forte putaverit, a Cicerone Plancium aut nimium extolli laudibus, aut ut tempori serviretur, nimias ei a Cicerone gratias publice agi, hoc velim cogitet ac recordetur, Plancium unum fuisse de Magistratibus, Ciceronis salutis defensorem, cui senatus ipse pro eo gratias agendas censuerit (25).

Re-

(22) *Epist. Divers. L. XIV. Ep.* 1. ibique Conf. Ragazonius *in Editione Epist. Ciceronis Graevii Tom.* 2. *p. m.* 197.

(23) Cf. C. Sigonius, *de Antiquo jure Provinc. L. II. c.* 3, 4.

(24) *Epist. ad Atticum L. III. Ep.* 22.

(25) Cf. Cicero *pro Plancio C.* 10, 28, 29, 30, 32, 33, *et passim. Post Reditum in Senatu C.* 14.

Rediit postea Cicero incolumis in urbe, rediit quoque Plancius, A°. U. C. DCLXXXXVI sive P. Lentulo Spinthere, et Q. Metello Nepote coss., et tribunatum plebis Romae gessit, (26) uti patet ex epistola Ciceronis eo anno ad fratrem suum Quintum scripta, ubi de novis creatis tribunis plebis scribens, haec addit: „ *Habes acta unius diei. Reliqua, ut arbitror, in mensem Januarium rejicientur. De Tribunis plebis longe optimum Racilium habemus, videtur etiam Antistius amicus nobis fore. Nam Plancius totus noster est.*" Quanquam nunc L. Racilius, Plancii eo anno in tribunatu collega, omnem opem et auxilium in Cicerone sustentando posuerit, ipse tamen Plancius nihil veteris officii neglexit; et uti Cicero de eo testatur (27) tribunum plebem fuisse non fortasse tam vehementem, quam alii, sed talem tamen, qualem, si omnes semper fuissent, numquam desideratus fuisset vehemens Tribunus, sic quoque cum adversarii denegarent, Plancii tribunatum, Ciceronis dignitati quidquam incrementi attulisse, et tantum L. Racilii fortissimi et constantissimi viri merita esse commemoranda, copiose edisserit Cicero (28) se plurimum debere ei, qui nullas neque contentiones, neque inimicitias, neque vitae dimicationes, nec pro republica, nec pro se defugiendas putavit (29).

Porro verosimile est Plancium summa cum laude tribunatum ple-

---

(26) Cf. Cicero *Epist. ad Quint. Fratrem L. II. Ep.* 1. ibique Manutius *ad voces* Lupus et Plancius.

(27) *In Orat. pro Planc, c.* 11 *in fine.*

(28) *In Orat. pro Planc. c.* 32.

(29) Quae cum ita sint, mira mihi profecto narrasse videtur vir reverendus M. Stuart, *in Romana Historia* belgice conscripta *Tom.* 16. *p.* 68. *De verdediging van Plancius is alleen nog in wezen, en strekt ten vereerende blijke van des Redenaars dankbaarheid, wijl Plancius, welker door het volk, ten loon zijner trouwheid jegens Cicero, ten gemeensman verkozen, zig geheel anders dan te voren tegen hem gedragen, en, zelfs strijdig met de denkwijze zijner ambtgenoten, niets tot het herstel van deszelfs volkomene waardigheid had toegebragt.* Quae verba cum nulla nitantur auctoritate, historicam fidem migtare paene dixerim.

plebis gesſiſſe, quamquam Laterenſis ei objecerat, tanquam emiſiſſet aliquem e carcere, idque per imprudentiam. cui tamen calumniae Cicero optime respondit (30).

Anno U. C. DCLXXXXVIII. aedilitatem petiit Plancius, et ſimul cum eo M. Juventius Laterenſis, hic vero praeteritus. ille aedilis creatus est, et ſequenti anno Cicero Plancium de ſodalitiis accuſatum, ea oratione, de qua cummaxime mihi agere propoſui, omnibus eloquentiae copiis, contra Laterenſem defendit.

Ceterum ſequentibus annis Plancius Ciceroni non minus quam antea carus fuit, et ſervis etiam Plancii Cicero non ſecus ac ſuis uſus videtur (31). Apparuerunt tum civilium discordiarum primae quaſi ſcintillae, contentionesque Caeſarem inter atque Pompejum. Et quemadmodum omnes, qui bene de Republica ſentirent, Caeſaris dominationem maxime timebant, non tamen niſi ſummo cum horrore Pompejanorum potuerunt nimiam contemplari crudelitatem. Victo deinde in Theſſalia Pompejo boni cives multi ab armis discesſere, quorum alii ſpe veniae a Caeſare impetrandae in Italiam reverſi ſunt, in quibus Cicero, Cn. Domitius Ahenobarbus, Ampius Balbus (32); alii eodem conſilio in Aſiam abierunt, aut in Achaïam remanſerunt, ituri obviam Caeſari ex Alexandrino bello redeunti, ut Torranius, et Cn. Plancius, qui fortasſe ambo Corcyrae commorati fuerunt: uti conjicere licet ex epistola eo tempore a Torranio ad Ciceronem ſcripta, quae ita incipit: „ *Dederam triduo ante pueris Cn. Plancii* (qui Corcyrae erat) *literas ad te, nihil puto tibi esſe utilius quam ibidem operi-*

(30) *In Orat. pro Planc c* 12.

(31) Certe ex *Epiſtola Diverſ. L. XVI. Ep.* 9. patet a. d. V. Kal. Decembris A°. U. C. DCCIII L. Æmilio Paullo et C. Claudio Marcello coſſ. Ciceroni proconſuli e provincia Cilicia proficiſcenti, ſervum Cn Plancii Brunduſii aliquando Tironis exſpectatisſimas reddidiſſe literas, Cf. J. C. d'Engelbronner, *V Conſ. Diſp. De M. Tullio Tirone M. Tullii Ciceronis liberto. publ. def Amſtelod. a d.* 14 *Maii* 1804.

(32) Cf. Cicero *Epiſt. Diverſ L. VI. Ep.* 12, 22 ibique *argumentum* Manutii unde haec ſumſimus. Seneca *de conſolatione ad Helviam Cap.* 11.

viri" (33) alii vero, vel quia victori supplices esse nollent, vel quod ei se committere non auderent, in oppidis liberis, bello vacuis, secesserunt, ut M. Marcellus qui Rhodi vel Mytilenis, et Aulus Torquatus qui Athenis, aliquando maluerunt vivere quam Romae (34).

Plancius se Corcyram contulisse, uti supra jam apparuit, tum ex epistolis ad eum a Cicerone scriptis intelligitur (35), quarum quidem duae tantum supersunt, et satis indicant, frequens inter ipsos fuisse literarum commercium; Plancius enim Corcyrae degens, cum Ciceronem a Caesare humanissime ac liberalissime acceptum esse, et penitus cum eo in gratiam rediisse audivisset, ei ob pristinam dignitatem recuperatam, gaudium suum significaverat; deinde etiam alia quadam epistola Ciceroni gratulatus erat de novis nuptiis cum Publilia contractis: binis his epistolis respondet Cicero Epistolâ XIV. Libri 41. Epistolarum Diversorum, quae igitur referenda est ad annum U. C. DCCVII. Caesare III. et M. Æmilio Lepido coss. Nam primum Cicero hoc anno cum Caesare in gratiam rediit, et cum Terentia uxore divortium fecit (36), deinde Publiliam duxit uxorem, nec multo post novas illas contractas nuptias, Tullia mortua est (37). Quod si jam reputemus Tulliam unicam et carissimam Ciceronis filiam, sub finem anni DCCVII, non ut quibusdam placuit, initio anni DCCVIII esse mortuam (38), Ciceronem vero an-

---

(33) Cf. *Epist. Divers. L. VI. Ep.* 20. ubi Corradus citata verba de Corcyra explicat, et huc etiam mihi referenda videntur sequentia verba: *Loco oportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocumque opus erit, facillime et expeditissime conferas.*

(34) Cf. *Epist. Divers. L. IV. Ep.* 7. *et seqq. L. VI. Ep.* 1.

(35) Sunt *Epist.* 14 *et* 15 *Libri IV Epistolarum Diversorum Ciceronis.*

(36) Cf. Dio *Lib. LVII.* Fabricius Marcoduranus, *in vita Ciceronis praemissa Editioni operum Ciceronis Schrevelii Amstelod.* 1661 *p. m.* 42.

(37) Uti narrat Plutarchus *in vita Ciceronis p. m.* 882 *La. A.* „ Γήμαντι δ' αὐτῷ, μετ' οὐ πολὺν χρόνον ἡ θυγάτηρ ἀπέθανε τίκτουσα παρὰ Λέντλῳ. „ τούτῳ γὰρ ἐγαμήθη μετὰ τὴν Πείσωνος τοῦ προτέρου ἀνδρὸς τελευτήν."

(38) Cf. *Disput. laud. De Tirone p.* 20.

ante obitum Tulliae Publiliam duxisse uxorem, sequitur et hanc epistolam ad Plancium scriptam, in qua novarum nuptiarum fit mentio, non nisi ad annum DCCVII posse referri, quod eo magis mihi verosimile videtur, cum Cicero in illa epistola ne verbum quidem de morte Tulliae scripserit, imo ad gratulationem de novis nuptiis humaniter responderit, quod certe non fecisset, si Tullia ei jam tunc decessisset, quoniam hanc quoque Publiliam demiserit, quod visa fuisset Tulliae morte laetari (39). Denique alia quoque me ratio movet, cur hanc epistolam ad annum U. C. DCCVII. referam, eo enim anno Cicero LXI agebat annum, et teste Quintiliano (40), sexagenarius Popiliam (sive ut alii Publiliam) virginem duxit, et hinc ei calumniam facientibus respondet Cicero, „*Cras erit mulier*".

Cicero in illa 14ª ad Plancium epistola, primum de rebus publicis ita quidem agit, ut ostendat, sibi nullam pristinae dignitatis relictam esse partem, eoque redactam esse Rempublicam, ut nec Caesaris victoria optanda, nec ejus clades speranda sit, cum ex altera parte caedes, ex altera servitus impendeat (41), et deinde ad Plancium ita rerum suarum domesticarum conditionem exponit, ut ea in primis valeat epistola ad refellendam calumniam a repudiata Terentia in Ciceronem excogitatam, quae scilicet divulgaverat, se idcirco esse repudiatam, quod venustae Publiliae forma captus, foedae suae libidini satisfacere voluerat Tullius (42). Verum non cogitavit impudentissima mulier, se solam divortii dedisse caussam, cum merito aegre tulerit Cicero, quod deceptum se videret, ab ea, qua cum triginta annis conjunctissime vixerat, nec forma virginis fuisse captum, sed tantum eam duxisse, ut credi-

(39) Teste Plutarcho *l. c.* „Βαρέως δ' ἄγαν ἤνεγκε τὸ συμβεβηκὸς, ὥστε „καὶ τὴν γαμηθεῖσαν ἀποπέμψασθαι δόξασαν ἡσθῆναι τῇ τελευτῇ τῆς Τυλλίας".
(40) *Inst. Orat. L. VI. C.* 3.
(41) Cf. Interpretes et in primis Manutius *ad dictam Epistolam* adde *Epist. Diverf. L. VI. Ep.* 1, 10, 20.
(42) Cf. Plutarchus *in vita Ciceronis p. m.* 881. *E.*

dicoribus satisfaceret suis. Deinde et ipse Cicero non nisi summo cum dolore divortium tulisse videtur, et quamquam etiam Terentia male cum eo egerit (43), tamen ejus memoriam nunquam sine aliqua pristinae necessitudinis tristi recordatione usurpabat (44), quae omnia satis demonstrant, castissimum Ciceronem haudquaquam libidini immoderatae deditum fuisse, et propterea innocentem dimisisse Terentiam, ut virgine potiri liceret, sed quod absente Cicerone male rem familiarem administrasset uxor, aerisque plurimum alieni contraxisset (45).

Conjiciunt aliqui hanc Epistolam XIV a Cicerone ad Plancium exulantem fuisse scriptam (46); verum ut ego juvenis de ea re meam qualemcumque dicere sententiam pericliter, non quidem illud exilium, ex dicta illa Epistola posse probari putem; verba enim: „*De tuis velim ut eo sis animo, quo debes esse, id est, ut ne quid tibi praecipue timendum putes*", potius eo referam, quod Plancius, qui se Corcyrae receperat, forte timeret, ne, quoniam Pompejum secutus erat, a Caesare male foret habendus, quem timorem etiam omnem, Plancio Cicero eripere conatur, *si enim status erit aliquis civitatis, quicumque erit, te omnium periculorum video expertem fore. Nam alteros tibi jam placatos esse intelligo, alteros nunquam iratos fuisse.* Quod certe non scripsisset Cicero, si Plancium Caesar ad exsilium damnasset.

Post

(43) Cf. Plutarchus *l. c.* A. Schottus *Cicero a Calumniis vindicatus* C. 12. Cicero *Epist. ad Attic. L. XI Ep.* 17, 24. *L. XII. Ep.* 18. ibique Manutius et *alii interpretes in notis*, item *L. XII. Ep* 20, 23.

(44) Cf. *Epist. ad Attic. L. XII. Ep.* 21. Et *Ep.* 22 ejusdem libri.

(45) Hanc etiam novarum nuptiarum causam memoravit Ciceronis Libertus Tiro apud Plutarchum *in vita Ciceron. p. m.* 881. Cf. *Saepius citata Disput. De Tirone pag.* 42. Ipse quoque Cicero declarat, se alias nunquam de novo matrimonio ineundo cogitaturum fuisse, uti patet ex Epistola ad Plancium *Lib. IV. Ep.* 14 et ob hanc caussam, post dimissam Terentiam Cicero non solum de Publilia, sed etiam de filia Pompeji magni ducenda cogitaverat. cf. *ad Attic. L. XII. Ep.* 11.

(46) Cf. Graevius et Ernestus *in argumento dictae Epistolae Diverf. L. IV. Ep.* 14.

Post hanc XIV, aliam item ad Plancium nostrum Cicero ſcripſit Epiſtolam (47), quae pariter de communibus miſeriis agit et Plancium quoque reprehendit: „ *Quod propriam aut praecipuam postularet fortunam, communem vero recuſaret*". Quae verba profecto nullum haberent ſenſum, ſi revera de praecipua quadam calamitate, de exſilii poena queri potuisſet.

Et haec quidem de Cn. nostro Plancio memoriae ſunt prodita; de viri morte non conſtat, ego ſaltem nihil quod certum esſet, de ea invenire potui. Ceterum ornatum quidem omnibus tam externis, quam domeſticis rebus (48), ſed nec diſertum, nec juris peritum fuisſe, ipſe Cicero fatetur (49), omnemque integerrimam vitam laudi militari tribuisſe, multis benigne fecisſe, et ita vixisſe, ut offenderet ſciens neminem, imo ipſe Laterenſis a quo ad judicem fuit provocatus quondam amicitiae vinculo cum Plancio fuit conjunctus (50). Tandem, alios quoque fuisſe Plancios ſive Plancos a Cneo nostro diverſos, ſatis cognitum est (51).

§ II.

---

(47) *Diverſ. Lib. IV. Ep.* 15.
(48) Cicero *Orat. pro Planc. C.* 27.
(49) Cicero *pro Planc. C.* 25.
(50) Cf. Cicero *Orat. pro Plancio C.* 30.
(51) Cf. Erneſtus *in clave Ciceron. in Indic. Hiſtorico in voce* L. Plancus ubi recte vir ſummus obſervat. Epiſtolas *Diverſ. Libri X.* non recte a quibusdam *Cn. Plancio* fuisſe inſcriptas; nam eae quidem Epiſtolae *ad L. Munacium Plancum*, qui postea cum M. Æmilio Lepido a. U. C. DCCXI, vel ut alii volunt a°. DCCXII conſul fuit, ſcriptae ſunt. Conf. Manutius *ad Ep. Diverſ. L. X. Ep.* 1. quemadmodum male exhibent Editio operum Ciceron. curante Grutero et Schrevelio *Amſtelod.* 1661 4°. item editio Lambini et D. Gothofredi, *Genevae* 1632 4° item operum Ciceron. a Lambino edita *Aureliae Allobrogum* 1626 8°. quem errorem etiam Corradum et Graevium errasſe miror. Conf. *Editio Epiſt Diverſ.* Graevii *Amſtelod.* 1693 2 *vol.* 8°. ibique Corradus *ad Lib. X. in notis.* Major etiam mihi exorta est admiratio, cum viderem ipſum Erneſtum, alios hujus viri arguentem, inſcriptionem *Libri X. Ep. Diverſ.* non mutasſe, et etiam *ad Cn. Plancum et Ceteros* inſcripſisſe. Editio tamen *Epiſtolarum Ciceronis Diverſ. quae prodiit apud* Blauw *Amſtelod.* 1638 12°. recte Librum X inſcriptum habet *ad Plancum et alios.* Neque enim asſentimus interpreti *ad Ciceronis Epiſt. Diverſ. L. X. Ep.* 24. *Edit.* Graevii ad vo-

§ II.

De M. Juventio Laterensi.

Juventia gens cum vetustate familiae, tum consulari dignitate, aliisque honoribus gestis Romae valde fuit celebris; oriunda ex municipio antiquissimo Tusculano, ex quo et plurimae consulares familiae ortum suum trahebant (1). Juventium quendam primum de plebe curulem factum esse gloriabatur gens illa (2). Haec et alia ornamenta eximia a majoribus accepta, M. Juventius Laterensis sua ipse virtute illustravit, qui, dies atque noctes de laude et de Republica cogitans (3), a proavis sibi relicti nominis communione semper fuit dignissimus. Patrem habuit ornatissimum atque optimum virum (4). Quando natus sit noster Laterensis certum pronuntiare non audemus. Cicerone consule id est A°. U. C. DCLXXXXVIII Cyrenis quaestorem fuisse quidam colligunt e loco Ciceronis pro Plancio (5). „*Desiderarunt te oculi mei cum tu esses Cyrenis, me enim quam socios tua frui virtute malebam, et quo plus intererat, eo plus aberas a me*" et deinde (6) *Cyrenis* (Laterensem) *liberalem fuisse in publicanos, justum in socios quis negat!*" Licet nunc priora illa verba in oratione pro Plancio sint Populi Romani, quem loquentem inducit Cicero, tamen illa conjectura mihi etiam verosimilis est visa, cum et ipse Cicero in altera agraria oratione contra Rullum (7), quam mense Januarii co-

---

voces *consultatus bimestris* qui nescio qua ratione ductus *epistolas* 14, 15. *L. IV. Diverſ.* non *ad Cn. Plancium*, sed ad *L. Munatium Plancum* fuisse scriptas affirmat.

(1) Cicero *Orat. pro Planc. C.* 8.

(2) Cicero *l. c. C.* 24.

(3) Cicero *in Vatinium C.* 11.

(4) Cicero *pro Plancio C.* 21.

(5) Cicero *pro Planc. C.* 5. Sigonius *de antiquo Jure Provinc. L. I. C.* 16

(6) Cicero *pro Planc. C.* 26

(7) Cicero *Orat. contra Rullum L. II. Cap.* 19.

eodem anno in Senatu habuerat, de agris publicis Cyrenensibus, qui regis Appionis fuerant, loquatur; de quibus P. Rullus tribunus plebis legem tulisset, ut venderentur; cuique ut obveniretur, fortasse ipsius Ciceronis consulis intererat Laterensem quaestorem tunc Romae adesse, et malebat se, quam socios Laterensis, ejus virtute frui. Certe Laterensis liberalitas, qua praecipue emicuisse videtur, jam antea apparuit, cum Praeneste, urbe Latii, ubi fortasse etiam quaestorio munere (8) fungebatur, antequam Cyrenam insulam salutasset, extra ordinem, sumtu suo ludos fecisset (9). Porro Laterensis maxime nomen suum nobilitavit A°. U. C. DCLXXXXIV Caesare et Bibulo coss. Caesar enim eo anno celebratam illam tulit legem Juliam Agrariam, qua Campanum Agrum et Agrum Stellatem viginti millibus civium, quibus terni pluresve liberi essent, divisit, quaque promulgata, obnuntiantem Bibulum collegam foro Caesar armis expulit, cui legi, ut valeret, hoc adjecit caput, ut Candidati se ipse jurejurando exsecrarent, si, impetrato quem peterent magistratu, mentionem fecissent, de agro Campano aliter possidendo, atque ex hac lege (10). M. Juventius Laterensis tunc tempore tribunatum plebis petebat, at sive iniquitate legis, sive horrore exsecrationis permotus, cum ceteri jurare non dubitabant, solus a petitione destitit, qua re maximam profecto laudem assecutus est; ita ut omnes boni caute eum fecisse existimarent, quare scribit ad Atticum Cicero (11). „ *Habet etiam Campana lex exsecrationem in concione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Juliis. Non dubitant jurare ceteri. Laterensis existimatur caute fecisse, quod tribunatum plebis destitit, ne juraret*". Et hoc est quod

(8) Cicero *pro Plancio C.* 26. ibique *interpp.*
(9) Cicero *l. c. et pro Sextio Cap.* 55. ibique Manutius. Ernestus *in clave in indic. Latinit. in voce* Ludus.
(10) Vellej. Patercul. *hist. Rom. L. II. C.* 44. Sigonius *de Antiquo jure Italiae L.* II. C. 2 Ernestus *in clave Cicer. in Indic. legg. in voce* Agraria Julia ibique *aa. cc.*
(11) Cicero *Epist. ad Atticum L. II. Ep.* 18.

quod respicit Cicero (12). „*Sitientem me virtutis tuae deseruisti ac dereliquisti. Coeperas enim petere tribunatum plebis temporibus iis, quae istam eloquentiam et virtutem requirebant: quam petitionem cum reliquisses, si hoc indicasti, tanta in tempestate te gubernare non posse, de virtute tua dubitavi: si nolle; de voluntate. Sin, quod magis intelligo, temporibus te aliis reservasti: ego quoque, inquam, ad ea te tempora revocavi, ad quae tu te ipse servaras*" et porro (13). „*Noli enim existimare, non magnum quemdam motum fuisse illius petitionis tuae, de qua, ne aliquid jurares, destitisti. Denuntiasti homo adolescens, quid de summa Republica sentires. Fortius tu quidem, quam nonnulli defuncti honoribus, sed apertius, quam vel ambitionis, vel aetatis tuae ratio postulabat. Quamobrem in dissentiente populo noli putare, nullos fuisse quorum animos tuus ille fortis animus offenderet: qui te incautum fortasse nunc tuo loco demovere potuerunt, providentem ante et praecaventem nunquam certe movebunt*". Et ex hoc maxime loco patet, Laterensem eo anno certe nondum ad eam aetatem pervenisse, qua tale honoris repudium aut exspectaretur aut consentaneum esset.

Occurrendum item est Ciceronis calumniatoribus, qui hic denuo ejus constantiam fustra se desiderare ajunt, afferentes etiam laudis testimonium, quod Cicero in Epistola ad Atticum (14) Laterensi tribuit, cui mire dicunt adversari criminationem contra eundem Laterensem ob repudiatum tribunatum oratione pro Plancio positam: Et ita optimum iniquae calumniae praesidium sibi invenisse videntur. Verum Cicero non ex orationibus, quas in judiciis habuit est dijudicandus, cum omnes orationes sint caussarum et temporum, non hominum ipsorum et patronorum (15); cum contra epistolae ejus, et in primis illae ad Atticum amicum suum

(12) Cicero, *pro Plancio C.* 5.
(13) Cicero, *pro Plancio C.* 22.
(14) Cf. *Epist. ad Atticum L. II. Ep.* 18.
(15) Cicero, *in Orat. pro Cluentio C.* 50.

suum optimum scriptae, apertum quasi Ciceronis pectus, et ipsam animi sententiam ostendant (16): Deinde Cicero in Oratione pro Plancio non id agebat, ut omni, qua re vera dignus erat, laude, Laterensem extolleret, verum eo unice ejus Oratio spectabat, ut caussam Plancii, quanta maxima eloquentiâ posset, defenderet: Putamus quoque ipsa tempora (17), quibus Cicero pro Plancio habebat orationem, obstitisse, quo minus veram Cicero caussam repeteret, quare Laterensis tribunatum plebis repudiasset, ne scilicet Caesarem, mentione legis agrariae facta, offenderet, cum illud in Oratione pro Plancio firmiter tenuerit Cicero, ne Caesaris laudibus quidquam detraheret (18). Quae cum ita sint, nemo addubitabit fateri, Ciceronem neque sibi contradixisse, neque totam suam, de voluntario illo Laterensis, quod memoravimus, repudio veram mentem in Oratione pro Plancio vel aperuisse, vel aperire debuisse.

Nos, qui non ita Plancii caussae mancipati sumus, ut Laterensis laudes percensere non audeamus, breviter eas enarrando, operae pretium facturi videmur. Et is profecto fuit Laterensis, cui Reipublicae salus semper esset carissima, nec unquam aut civium ardore prava jubentium, aut vultu instantis tyranni commotus est, eam ut desereret. Ciceronem lege Clodia ex urbe ejectum semper et ope, et consilio suo quam maxime defendit, dignitatis et salutis ejus, semper se studiosissimum praestitit, quare et ipse orator, quamvis Plancii defensor, eum sibi amicissimum profitetur, cum et vitae periculum cum Cicerone communiter subire voluisset, et in illo tristi exsilii luctu atque discessu non lacrymis solum suis, sed animo, corpore, copiis prosecutus esset La-

(16) Huc faciunt verba viri summi J. M. Gesneri, *in commendatione Epistolarum Ciceronis ad Diversos, habita Gottingae a. d.* 17 *April.* 1735 *Operum Vol. I. p. m.* 48.

(17) Cicero, *pro Planc. C.* 13.

(18) Cicero, *in Orat. pro Planc. C.* 39. Quintilianus, *Inst. Orat. L. XI. C.* 1. Cf. et *Argumentum* Manutii et Ernesti *Orat. Ciceron pro Murena praemissum.*

Laterensis; liberos et uxorem Ciceronis absentis, suis opibus, auxiliisque defendisset (19). Laterensis etiam hoc tempore saltem antequam Cicero Plancium defendit, id est, ante annum DCLXXXXIX. Cretae fuit, ibique, ut Manutius (20) conjicit, legati munere functus est.

Fuit deinde quoque Laterensis a. U. C. DCCII Sulpicio et Marcello coss. Praetor urbanus; at quamquam in aliis rebus omni laude fuerit dignissimus, tamen eo munere non satis diligenter functus esse videtur. Nam cum Marcus Servilius a Pilio quodam de repetundis fuerat postulatus, et de damnatione ferventer loqui erat coeptum, sententiae vero apud Judices, qui litem aestimarant aequo essent numero, Laterensis leges ignorans pronunciavit, quid singuli ordines judicarunt, et sic pro absoluto Servilius est habitus, postea vero legit Laterensis legis unum et centesimum caput, in quo erat „ *quod eorum judicum major pars judicarit, id jus ratumque esto*", quae causa fuit, quo minus Servilium in tabulas absolutum referret, et sic neque absolutus, neque damnatus judicaretur (21).

Sunt etiam, qui opinentur, hanc Laterensem a^o^ U. C. DCCVI cum Caesar, Pompejum ad Dyrrhachium obsidebat, in Hispania apud imperatorem Q. Cassium Longinum in maxima dignitate et gratia fuisse, ibique cum L. Racilio, Munatio Planco, L. Annio Scapula et aliis, in eundem Cassium conspirasse, cum itaque Cassius Cordubae in Basilicam iret, quidam Minutius Silo, cliens Racilii, bis eum pugione ferijt. Racilius in proximam tunc se domum familiaris sui contulit, dum certum cognosceret, confectusne Cassius esset. Laterensis, quum id non dubitaret, accurrit laetus in castra, militibusque, quibus odio sciebat praecipue Cas-

---

(19) Cf. Cicero, *in Vatinium* C. II. *In Orat. pro Plancio* C. I et 30.

(20) *In notis ad Orat. pro Planc.* C. 34.

(21) Cf. Cicero, *Epist. Divers. L. VIII. Ep. 8. ad quem locum in primis Cf.* Manutius, *in notis.*

Casſium esſe, gratulatur. Tollitur a multitudine in tribunal, praetorque appellatur. Interim cum Laterenſi nunciaretur Casſium vivere, dolore permotus, animoque perturbatus, ſe celeriter refecit, et ad Casſium viſendum properavit. At Casſius ii, qui nominati erant conſcii caedis, ut comprehenderentur curat, cumque indicio Minutii cognovisſet, Racilium, Laterenſem, et Scapulam in eadem fuisſe conjuratione, non diu ſuum dolorem moratus est, eosque interfici jusſit (22). Non tamen nos ſtatuere audemus hunc eundem fuisſe atque M. Juventium Laterenſem. Hirtius quidem loquitur de Racilio et Q. Munatio Planco, quos ſcimus Romanos et Laterenſi nostro, ſanequam fuisſe familiarisſimos; verum quis affirmet, Hirtium non de alio quodam Laterenſi cogitasſe. Illud tamen non praetereundum est ſilentio, Hirtium ſuum Laterenſem L. non M. praenomine appellare (23); et dein etiam a Casſio interfectum ſcribere; ſatis vero inter omnes conſtat M. Juventium Laterenſem multos item annos post vixisſe (24). Quare rem dubiam doctioribus dijudicandam relinquimus; illud certius videtur nostrum Laterenſem a. U. C. DCCVIII Caeſare IV cos. ſine collega, augurem fuisſe: cum enim Cicero, qui et ipſe augur erat (25), ab Apulejo quodam novo augure creato, ad coenam auguralem invitatus fuisſet; et jure augurali necesſe esſet, omnes augures venire, niſi morbo impedirentur, eoque nomine vel per ſe

(22) Uti haec omnia amplius narrat Hirtius *de bello Alexandrino C. 46 ad* 56.

(23) In ſolo enim Scaligerano Codice praenomen abest. Cf. *Variantes lectiones in Edit.* Oudendorpii. Literas vero L. et J. ſaepe in ſcriptos codices vicisſim migrare obſervavit J. Mellerus Palmerius *in ſpecilegiis in* Gruteri *Face Tom. IV. p. m.* 663 et ſic fortasſe a J. ſeu Juventio Laterenſi errore chalcographico L. Laterenſis factum est.

(24) Niſi quis Laterenſem inter eos fuisſe patet, qui ſe pecunia a Casſio redemerant. Cf. idem Hirtius, *l. c.* C. 55. Valerius Maximus, *L. IX. C. 4. No.* 2.

(25) Cicero, *Orat. Philip. II. C.* 2. *Epiſt. Diverſ. L. III. Ep.* 4. *L. VI. Ep.* 6. *L. XV. Ep.* 4. *et alibi* Plutarchus, *in vita Cicer. p. m.* 878. *E.*

ſe vel per alios excuſarentur, quaeque excuſatio non valebat, niſi per augures, nec pauciores quam tres, fuisſet approbata: Cicero autem, cum eo tempore ob morbum illi coenae, neque die cooptionis, neque etiam in dies ſequentes adesſe posſet, a Laterenſi, Naſone, Laenate, Torquato auguribus apud Apulejum fuit excuſatus (26).

Superest, ut de miſerrimo Laterenſis exitu pauca dicamus, qui cum ſe optimum ſemper, et patriae amantisſimum praeſtitisſet civem, homo infortunatus, Lepidi inconſtantiam, levitatem, et ſcelus, miſerrime expertus est. Cum enim M. Æmilius Lepidus antea triumvir, Caeſare confosſo et necato, Pontifex Maximus in Caeſaris locum furto fuerat creatus, decretaque ſibi Hiſpania A°. U C. I CCX. Hirtio et Panſa Coſſ. adhuc in Gallia morabatur, exitum exſpectans ſuscitati ab Antonio civilis belli (27), M. Juventius Laterenſis hujus infidi hominis fuit legatus. L Munatius Plancus, praetor conſulque lege Julia deſignatus, Galliam provinciam tunc adminiſtrabat imperator, Lepidus tum quidem maxime ſe Antonii inimicum, Patriae vero defenſorem ostentans, animo jam fovebat ſuo clandestina conſilia, quae postea turpisſime aperuit. Antonius dein Bruto et Mutina obſidione liberatis, nullum alium receptum habebat, niſi in perſona Lepidi, ejusque exercitu, igitur Plancus Laterenſi maxime interprete Lepidum omni ſtudio atque operà incitavit, ut quam maxime Rempublicam respicere vellet (28). Profecit quoque Laterenſis tunc multum quidem apud Lepidum, ita ut fidem dederit, ſe Antonium, ſi provincia ſua probibere non potuisſet, bello perſecuturum: Propterea que Plancum rogavit Lepidus, ut veniret, copi-

(26) Cf. Cicero, *Epiſt. ad Attic. L. XII Ep.* 13, 14, 15, 17. *ibique Interpretes in notis.* Ernestus, *in nota ad Dict. Ep.* 13. *No.* 52. *et in Clave in Indic. Hiſt in voce* Strabo.

(27) Cicero, *in Orat. de Provinc. conſ.* C 8. Philipp. *L. V. C.* 14. *L. XIII. c.* 4 Vellejus Paterculus, *L. II. c.* 63. *et ad ea loca VV. DD. in notis.*

(28) Cicero, *Epiſt. Diverſ. L. X. Ep.* 11.

piasque conjungeret, varietatem atque infidelitatem exercitus timens, cui petitioni, per Laterensem aliosque legatos suos factae, et ipse Plancus obtemperavit (29). At quamquam et Plancus et Laterensis omnia, petenti Lepido, et ultro erant polliciti, non tamen licuit diu bene de eo sperare; cum enim Plancus exercitum suum ad Lepidum adducendum erat paratus, ecce consilium suum mutavit Lepidus, et colloquia, quae primo repudiaverat, subito cum Antonio instituit, et per aversa castrorum proruto vallo a militibus Antonii receptus est, titulumque imperii Antonius ei cessit (30). Laterensis vir sanctissimus suo chirographo jam pridem tum Planco miserat literas, in quibus desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, se destitutum quaestus esset (31); et miser derelictus, cum exitus acta probaret Lepidi, vir vita ac morte consentaneus, ne se cum Antonio, hoste judicato, jungeret, irritus consilii gladio se ipse transfixit (32). De qua morte, certe de ejus forma, Plancus ita Ciceronem facit certiorem, „ *Laterensis nostri et fidem, et animum singularem in Rempublicam semper fatebor, sed certe nimia ejus indulgentia in Lepidum, ad haec pericula perspicienda fecit eum minus sagacem. Qui quidem cum in fraudem se adductum videret, manus, quas justius in Lepidi perniciem armasset, sibi afferre conatus est. In quo casu tamen interpellatus et adhuc vivit, et dicitur victurus; sed tamen de hoc mihi parum certum est* (33). Haec vita fuit, haec acta fuerunt hujus tanti, Reipublicaeque amantis viri, qui omnium Historicorum laudes, et accepit, et meruit, cuique, ut nonnulli affirmant, senatus laudationem, statuam, publicumque funus decrevit (34).

---

(29) Cicero, *Epist. Diverf. L. X. Ep.* 15, 18.
(30) Vellejus Paterculus, *L. II. C.* 63. *N.* 1.
(31) Cicero, *Epist. Diverf. L. X. Ep.* 21.
(32) Vellejus Paterculus, *l. c. No.* 2.
(33) Cicero, *Epist. Diverf. L. X. Ep.* 23.
(34) Ita affirmant interpretes *ad locum laudatum* Velleji.

CAPUT SECUNDUM

NARRATIO FACTI.

§ I.

De Tempore, quo Planciana causſa fuit agitata.

Cum jam ſatis ſuperque a nobis disputatum ſit de Cn. Plancio, et M. Juventio Laterenſi: breviter nunc primum videamus de tempore, quo haec Planciana cauſſa fuit agitata: deinde quos utraeque partes habuerint patronos: et denique exponamus causſam quae orationi argumentum praebuerit.

Conſtans doctorum virorum opinio est, A°. U. C. DCLXXXXIX. Plancium a Laterenſi fuisſe accuſatum, Ciceronemque ejus patrocinium ſuscepisſe. At licet in ea re omnes conſenſerint, non tamen eadem hujus ſententiae firmandae attulerunt ſinguli argumenta. Certe Cicero, qui ſe L. Domitio et Claudio cosſ. ſive A°. U. C. DCLXXXXIX. nunquam a cauſſis, et judiciis districtiorem profitetur (1), et tunc gravisſimos et maximos calores, quos majores ſe meminisſe unquam dubitet, ſibi fuisſe molestisſimos, menſe Septembri ad Fratrem, tum Caeſaris in Gallia legatum, ſcribit, „ *Efflagitatas pro Scauro et Plancio abſolvisſe orationes* (2). Scaurum vero, Vatinium, Rabirium et alios a Cicerone hoc anno fuisſe defenſos conſtet; uti nunc vidimus Plancium A°. U. C. DCLXXXXVI. L. Lentulo Spinthere, et Q. Metello Nepote cosſ. tribunatum plebis gesſisſe, non niſi biennio post lege ei legitimus an-

(1) Cicero, *Epiſt. ad Quint. Fr. L. II. Ep.* 16.
(2) Cicero, *Ep. ad Quint. Fr. L. III. Ep.* 1.

annus fuit aedilitatem petendi, qui igitur incidit in annum U. C. DCLXXXXIX. Uti enim legibus annalibus constitutum erat, quo anno cuique magistratus petere liceret, sic etiam postea lege Cornelia de magistratibus cautum erat, ut inter curules magistratus biennii interstitio esset (3). Quare etiam cum ex antea dictis apparuerit, Laterensem A°. U. C. DCCII. Sulpicio et Marcello cosf praeturam gessisse, sequitur et biennium ante i. e. A°. U. C. DCLXXXXIX. ei per leges licitum fuisse aedilitatem ambire. Deinde si reputemus, legem etiam ipsam, qua Laterensis fretus suam in Plancium movit accusationem, latam fuisse Cn. Pompejo et M. Licinio Crasso cosf. A°. U. C. DCLXXXXVIII, et hinc Liciniam dictam, non multum difficultatis superest, quo minus in annum U. C. DCLXXXXIX recte hanc litem collocemus. Argumentum vero quod affert Corradus (4), scilicet hoc anno DCLXXXXIX. C. Alfium fuisse quaesitorem (5), et in Oratione pro Plancio (6) hujus quaesitoris mentionem fieri, non satis indubitatum mihi videtur, ut potius arbitrer (7), in Oratione pro Plancio non esse legendum Alfium, sed Flavium, et ita ex capite ultimo Orationis emendandum: deinde de Quaesitore causae Plancianae testatur Cicero, cum suorum consiliorum in consulatu fuisse socium, periculorum participem rerum quas gesserat adjutorem, seque non modo salvum semper, sed etiam ornatum, florentemque voluisse (8), quod certe non verosimile videtur Ciceronem de Al-

(3) Marcellus Donatus, *in dilucid. ad Ælium Lampridium, in Alexandro Severo in* Gruteri *Face Tom. 6. p. m.* 935 *seqq.* Manutius, *de legg. C.* 5 *et* 6. Ernestus, *in clave Ciceron. in Indic. legg. in voce* Annales leges.

(4) *In Quaestura p. m.* 263.

(5) Ut patet *ex Epistolis* Ciceronis *ad Quint. Fratr. L. III. Ep.* 1, § 7. *et Ep.* 3.

(6) Cicero, *Orat. pro Plancio C.* 17.

(7) Cum Antonio Augustino et Manutio *in notis ad dictum locum Plancii*, et post eos cum Fabricio Marcodurano, *in vita Ciceronis p. m.* 36. item cum Ernesto, *in clave Ciceron. in Indice Histor. in voce* C. Flavius.

(8) Cicero, *pro Plancio C.* 42.

Alfio dixisse, cujus nisi paucis locis (9) mentionem facit nullam, cujus tamen conjunctionis et familiaritatis quam maxime commeminisset; quare potius C. Flavium, de quo Cicero in Epistola (10) ad Acilium proconsulem facit mentionem, quique Bruti et Attici, totiusque caussae optimatum fuit amicissimus, in Planciana caussa quaesitorem fuisse arbitrer (11).

Quo autem anni tempore sit habita Oratio, pro incerto relinquendum, nisi forte verosimilis videatur nostra conjectura, Plancium mense Februario a Cicerone fuisse defensum, quod ea maxime de caussa opinamur, quia dicenti Ciceroni interfuerunt Macedonum legati sive principes suarum civitatum, qui, quamvis missi ob aliam caussam, tamen Plancii repentino periculo commoti ei assidebant, et pro eo laborabant (12). Cognitum vero est, mensem Februarium, praecipue legationibus, fuisse destinatum, senatusque eo mense haberi non posse, nisi iis perfectis aut rejectis (13). Deinde etiam magis consentaneum est Laterensem statim post repulsam aedilitatem (14) accusationem suam in Plancium movisse, et initio anni DCLXXXXIX. caussam fuisse agitatam, quam quod ad mensem Septembrem usque suum altum sub corde pressesit dolorem. Quod tamen ita censendum foret, si fidem demus conjecturae Corradi (15), qui Plancium-

(9) Cicero, *in Oratione in Vatin.* C. 16. *et in Cit. Ep. ad Qu. Fratr.*
(10) Cicero. *Epist. Diverf. L. XIII. Ep.* 31.
(11) Corn. Nepos *in vita Attici* C. 8. Plutarchus, *in vita Bruti p. m.* 1008. *B.* forte et ejusdem mentio est apud Val. Maximum, *L. VIII. C.* 5. § 2.
(12) Cicero, *pro Plancio C.* 11.
(13) Cicero, *Epist. Diverf. L. I. Ep.* 4. *ibique* Manutius. *Ad. Qu. Fratr. L. II. Ep.* 12. *ibique* Ernestus, *in nota subj.* Gravina, *de origin. juris L. I. C.* 16. *ibique aa. cc.*
(14) Cui jam ante fextilem mensem superioris anni Plancius erat designatus; cf. Cicero, *Ep. Diverf. L. I. Ep.* 4. *ad Atticum L. I. Ep.* 1. ibique Manutius, *in notis ad verba* ante comitia.
(15) *In Quaestura p. m.* 263.

cium post M. Scaurum defensum putat; Cicero vero ipse declarat, Scauri judicium in mensem Septembrem fuisse rejectum (16).

§ II.

Quos utraeque partes habuerunt patronos.

Praeter Ciceronem Plancii quoque susceperat caussam Quintus Hortensius (1) cujus vitam et laudes eximie enarrat Cicero. Qui nullum patiebatur diem praeterire, quin aut in foro diceret, aut meditaretur extra forum, memoriaque utebatur tam facillima, ut omnia, quae secum erat commentatus, non scripta verbis iisdem reddere posset, quibus cogitasset, quique alias luculentissimas caussas et saepe solus egit, nonnunquam etiam cum Cicerone (2).

Laterensis partes egit L. Cassius Ciceronis familiaris, omni virtute et humanitate ornatus adolescens, hic proprie dicebatur subscriptor, i. e. accusator secundarius, sive accusatoris Laterensis adjutor (3). Fuit porro hic Cassius, C. Cassii, qui Caesarem

---

(16) Cf. Cicero, *Ep. ad Qu. Fratr. L. II. Ep.* 16. *L. III. Ep.* 1. *ad Attic. L. IV. Ep.* 15. Asconius Paedianus, *ad Fragm. Orat. pro Scauro in Edit. Orat. Cicer.* Graevii, *T. III. P.* 2. *p. m.* 1002. quare cum Egnatio levem Corradi l. c. putamus conjecturam, qui ex Epistola Ciceronis *ad Quint. Fratr. L. III Ep.* 1. *No.* 4. ubi efflagitatas se Orationes pro Scauro et pro Plancio absolvisse scribit Cicero, opinatur, Plancium post Scaurum fuisse defensum, quia Plancii nomen post Scaurum est positum.

(1) Cicero, *pro Plancio C.* 15. *ibique* Manutius.

(2) Cicero, *in Bruto C.* 88. Seneca, *controvers. L. I. C.* 58. Vellejus Paterculus, *L. II.* C. 36. Quintil., *Inst. Orat. L. IV. C. ult. L. X. C. 6. L. XI. C.* 2, 3. *L. XII. C. 7.* Vossius, *de Historic. Lat. L. I. C.* 11. ubi succinctam invenire licet hujus oratoris vitam Ernestus, *in Clave Cicer. in ind. Histor. in voce* Hortensius.

(3) Cf. Cicero, *pro Plancio C.* 24. *ibiq. interpp.* item *annotatio*

rem occidit, frater; et profecto fraterni ferocis ingenii non fuit immunis, siquidem praetorium ejus tribunal propter nimiam severitatem *scopulus* dicebatur *reorum* (4), quare Cicero de eo hoc profert testimonium: Veritatis quidem fuisse amicum, at natura non tam propensum ad misericordiam quam implicatum ad severitatem, et hinc judices severissimi judices Cassiani nominabantur (5). Memorandum quoque est, ab hoc oratore manasse illud cognitum proverbium, seu frequentem interrogationem *cui bono*. Cum enim ille perversam hominum naturam ita habebat perspectam, ut nullo majori vitio laborare homines sciret, quam avaritia, et quod nemo ad maleficium sine spe lucri atque emolumenti accedere conetur, semper, cum de homine occiso quaereretur, rogabat *cui bono* fuisset, perire eum, de cujus nece quaerebatur, et eum caedis auctorem fuisse judicabat, cui plurimum utilitatis illa nex attulisset (6).

§ III.

Caussa quae Orationi argumentum praebuit.

Diximus de tempore, quo haec Plancii et Laterensis caussa fuit disceptata, quosque utrimque partes habuerint patronos; nunc ipsam caussam, quae orationi argumentum praebuit, paucis exponemus.

Vi-

tio Hottomanni, *ad C.* 15. *Ciceronis Orationis in Q. Caecilium seu Divinat.* Ernestus, *in Clave in ind. Latin. in voce* subscriptor.

(4) Valerius Maximus, *L. III. C. 7. No.* 9.

(5) Cicero, *pro Roscio Amerino* C. 30. Abramius, *in notis ad Cicer. Orat. pro* Milon, *C.* 12. Auream mediocritatem positam inter duo extrema, nimiam severitatem et effusam misericordiam, egregie commendavit JCtus Callistratus, *in L. XIX. ff. de offic. praesid.* ad quam legem doctissimum scripsit commentarium Gelriae quondam Ornamentum L. Goris.

(6) Cicero, *pro Milone C.* 12. ibique *annotatio* Abrami, *Philip. II. C.* 14. *pro Roscio Amerino l. c. ibique* Lambinus.

Vidimus et Plancium bonum fuisse virum, et Laterensem in ejusdem laudis societatem vel adversarii testimonio patroni venire; traductaque enim eleganter adolescentia, diversa in diversis provinciis utrosque obiisse munera; reversos, hunc Praeturam urbis, illum Tribunatum plebis gessisse.

Plancius equestri loco natus ad omnem illorum spem honorum aspirabat, quos, propter ingenii bonitatem, animi solertiam, familiae honestatem, et in Rempublicam collata officia, quae vel in solo servando Cicerone maxima erant censenda, suo Jure petere posset.

Laterensis cum avito consulari decore superbus, tum suis ipse animi virtutibus excellens, solum sibi Juventium nomen sufficere putabat, cur ceteris omnibus, qui non eadem generis vetustate possent gloriari, a populo praeferretur.

Quae cum ita essent, haud aliter evenire potuit, quin utrique, cum Laterensis, tum etiam Plancius illum prensarent magistratum, qui ad amplioris honoris gradum erat quasi adscensus, qualis quam maxime Ædilitas erat Curulis.

Quare, cum ad annum U. C. DCLXXXXVIII. ex veteri instituto novi creandi essent consules, tribuni, et aediles, praeter alios quoque praeclaros viros, uti fuerunt A. Plotius Silvanus, et Q. Pedius (1), Plancius et Laterensis aedilitatem ambierunt. At Laterensis et Plancius suo quisque, diversoque modo populi gratiam sibi conciliare studebant. Diversa quoque utrique fuerunt auxilia. Laterensis animo elato populum sibi aedilitiam quasi deferre debere putabat dignitatem. Plancius contra non solum ipse quantum par erat, sed et in primis amici ejus populo supplicabant, aedilitatem ut capesceret. Habuit hic studia suorum i. e. Atinatum, Arpinatum, Soranorum, Casinatum, Aquinatum totiusque illius tractus celeberrimi, Venafrani, Allifani, ardentia; Ille tanta, quanta in hominibus jam saturatis honoribus esse potuerant.

---

(1) Cf. de his Ernestus, *in clave in Ind. Histor. in vocibus* A. Plotius Silvanus *et* Q. Pedius.

rant. Laterensis municipes, splendidissimi quidem erant homines, sed tamen pauci, si cum Atinatibus conferrentur. Nec solum tota illa aspera, et montuosa, et simplex, et fautrix suorum regio, se Plancii honore ornari, se augeri dignitate arbitrabatur, summoque in eum studio erat affecta, verum ipse etiam Cicero non opibus, non invidiosa gratia, non potentia vix ferenda, sed commemoratione beneficii, sed precibus multum afferebat: appellavit enim populum, tribubus se submisit, atque supplicavit ultro se ei offerentes, ultro pollicentes rogavit. At non sic rogavit Cicero, ut petere videretur, quia Plancius ejus erat familiaris, quia vicinus, sed ut quasi parenti et custodi salutis ejus (2).

Laterensis contra non submisse supplicare voluit, quin splendore, et vetustate familiae fretus, non valde ambiendum putavit, nec dubitavit, quin omnes qui nobilitati faverent, qui id pulcerrimum esse putarent, qui imaginibus, qui nominibus Juventiae gentis ducerentur, eum aedilem facturi essent: Quare cum populus non judicaret in comitiis, at moveretur gratia, cederet precibus, eosque faceret aediles a quibus maxime esset ambitus, cumque ea esset conditio liberorum populorum, praecipueque populi Romani, omnium gentium domini, atque victoris, posse suffragiis vel dare vel detrahere quod vellet cuique: nihil mirum est, quod Plancius, qui et ipse per sese valeret, aedilis curulis factus sit (3).

Cum igitur ex instito majorum de singulis magistratibus sententia ferretur, et sive M. Licinius Crassus (4), sive L. Domitius Ahenobarbus (5), sive etiam alius consul novo quodam mo-

(2) Cicero, *pro Plancio* C. 8, 9, 10.
(3) Cf. Cicero, *pro Planc.* C. 4, 5, 7, 20. *et passim.*
(4) Ut voluerunt Corradus, Gruchius, Ernestus, et alii interpretes *ad Orat. Ciceron. pro Plancio* C. 20. item Sigonius, *de Judiciis* L. II. C. 30.
(5) Ut voluit Manutius, *ad d. l. Plancii.*

more, et maxime ad reprimendum ambitum, ſubito et praeter opinionem, ſimul cum conſularibus comitiis (6), quae centuriata erant, reliquorum magiſtratuum haberet comitia, his ipſis conſularibus comitiis Plancius omnia ſuffragia tulit, ac deinde et populus univerſus tributis comitiis ſuam in eum voluntatem declaravit (7); quae cum audiisſet Laterenſis, praelatumque ſibi Plancium cognovisſet, communi illo humani generis laboravit vitio, invidiâ; Unusquisque enim ſuae virtutis vehemens est, et iniquus ſaepe exiſtimator (8), ſuaque opinione ſe omnibus antecedere putat, atque re vera virtute ipſa non tam multi praediti esſe, quam videri volunt (9): quare cum Laterenſis judicaret Plancium majori laude dignum, majori virtute ornatum a populo fuisſe exiſtimatum, ſtatim ei coepit invidere, et uti Theophraſtus Alexandri rebus angebatur prosperis (10), ita quoque Laterenſis Plancii fortunam, ut ſibi odioſam, deplorabat. Invidiam ſequebatur ira, et cum proprium ſit irati cupere, a quo laeſus ſit, quam maximum ejus animo inurere dolorem (11), jam ſtatim et Laterenſi animus invadit, omnibus, quibus posſet, Plancium afficere doloribus, omnes in eum excogitare calumnias, imo huic ille irae, huic ille invidiae usque adeo indulſit, ut et falſam Plancio movere accuſationem non dubitaverit. Quare ut et ipſe ſuum ſervaret nomen, haberetque quod imaginibus ſuis, quod ornatisſimo atque optimo viro patri ſuo responderet mortuo (12), et ut ſe maxima affectum esſe injuria cuique perſuaderet, Plancium non rite, ſed per ambitiones et largitiones obtinuis-

---

(6) Cf. Ernestus, *in nota ad Orat. pro Plancio* C. 20. *Not.* 1.
(7) Cicero, *in Orat. pro Planc.* C. 20. ibique *interpretes* in primis Manutius. Cicero, *Orat. In Rullum* C. 11.
(8) Cicero, *de Officiis L. II. C.* 10. *Orat. pro Sextio* C. 18.
(9) Cicero, *de Amicitia* C. 26.
(10) Cicero, *Tuscul. Disput. L. III.* C. 10.
(11) Cicero, *Tusc. Disput. L. III.* C. 10. *L. IV.* C. 8, 19.
(12) Cicero, *pro Plancio* C. 21.

nuisse aedilitatem clamavit. Ambitus igitur reum publice detulit Cn. Plancium. At cum ipse huic diffidebat accusationi, nihil suae calumniae tutius quasi propugnaculum afferre posse sibi videbatur, quam si judices eligeret, qui simul et testes forent. Etenim sodalitii crimen, quod inter ambitus crimina erat gravissimum, Plancio objecit Laterensis. Et hoc quidem Orationis pro Plancio est argumentum, quod quo melius intelligamus, nunc de crimine sodalitii separatim et enucleatius erit disserendum.

CAPUT TERTIUM.

DE CRIMINE SODALITII.

§. I.

Quid sit Sodalitium, et quaenam praecipuae ejus fuerint partes.

Criminum circa quae olim Romae versabantur publica judicia unum in paucis famigeratum erat *Ambitus*. Cum enim ut ait Cicero, „ *omnia judicia aut distrahendarum controversiarum, aut puniendorum maleficiorum caussa essent reperta*" (1), et hinc vel judicia, vel etiam caussae bipertito erant distributa, in publica nempe et privata, illa ad universum Reipublicae statum, haec vero ad privatorum commodum maxime pertinebant (2). Jam

(1) Cicero, *pro Caecina C.* 2.
(2) Sigonius, *de Judiciis L. I. C.* 1. *L. II. C.* 1.

Jam crimen illud quo populi suffragia honoris adipiscendi gratia corrumpebantur, et studiosius impensiusque petebantur magistratus, quam mores legesque civitatis ferebant, quod uno verbo *Ambitus* nominatur, publico judicio solebat vindicari (3). Quod quidem crimen diversis diversorum legibus fuit coercitum, quas nunc recensere omnes supervacaneum putamus, cum tantum praecipue nobis agendum sit de *Sodalitii* crimine, quod erat ambitus gravissimum.

Constabat ambitus duabus maxime partibus, prout scilicet vel in amicorum, vel in populi voluntate concilianda versaretur; in amicorum numero erant habendi omnes, qui bonam voluntatem in candidatum ostenderent, qui eum colerent, et domum ejus ventitarent, maxime vero *qui sodalitatis nomine ei erant cari et jucundi* (4). At vero in longam profecto disputationem, me delabi, sentio, si primam sodalitatum originem enarrare velim, earumque apud alios populos institutionem, apud alios interdictionem recensere aggrediar; quare, ne latius vager, ea tantum attingam propius, quae ad subjectam hujus disputationis materiam videbuntur pertinere. Certò quemadmodum, multorum vocabulorum non nisi abusu, minus honesta invaluit significatio, sic etiam *Sodales*, *Sodalitas*, et *Sodalitium* honestiori primulum sensu sunt accepta, qui deinceps etiam mansit, adeo ut nisi ubi de ambitus criminis specie peculiariter usurpentur haec vocabula, per se quidem inhonestam notionem non habeant (5).

Festus (6) sodales dictos scribit, „ *quod una sederent essentque,*

(3) Sigonius, *de Judiciis L. II. C.* 30. *interpretes, ad Tit. ff. ad Legem Juliam de Ambitu.* Ernestus, *in clave Indic. Latin. in voce* Ambitus.

(4) Q. Cicero, *in libro de Petit. Consul.* C. 5. Sigonius, *l. c.*

(5) Cf. Manutius, *ad Ciceron. Orat. pro Planc.* C. 15. Saepe e temporum rationibus, multas multarum vocum variare significationes, jam observavit Cicero, *Epist. Divers. L. III. Ep.* 8. Ubi cf. Manutius, Corradus. Quintil. *Orat. Inst. L. VIII. C.* 3.

(6) In voce Sodalis.

que; id est convivarent, *alii quod ex suis dapibus vesci soliti sint, alii quod inter se invicem suaderent quod utile esset*." Atqui L. Valla (7), magnam dicit esse differentiam inter socium et sodalem; *Est enim proprie sodalis in rebus levioribus, ac saepe voluptuosis.* Sed cum non solum sodalis dictus sit collega, in eo collegio, quod sacrorum caussa, in alicujus Dei honorem constitutum est (8); verum etiam quaestor et legatus praetoris appellentur sodales (9), idcirco Vallae sententiae, certe sensu juris, non omnino accedo, et potius Festi verbis fidem habeo (10). Quod si verum est, sodales dictos esse socios primorum illorum collegiorum aurificum, architectarum, tinctorum, sutorum, coriariorum, aliorumque artificum, quae Numa Romae instituisse fertur (11), nullum dubium superest, quin *sodalis* de omni socio sive in societate, sive in collegio fuerit dictum. Certe JCtus Gajus, *in Libro 4°. ad Leges XII. Tabularum* (12), *sodales sunt*. inquit, *qui ejusdem collegii sunt, quam Graeci ἑταιρίαν vocant*". Graecorum vero ἑταιρίαν non tantum de rebus levioribus dici, vix probatione indiget. At licet sodalitatum vel ἑταιριῶν institutio ad optimum principio tendere videbatur finem; certe non nisi generosum illud sodalitatum Graecarum et Romanarum fuit con-

---

(7) *Elegant. L. IV. C.* 38.

(8) Cicero, *pro Coelio C.* 11. *de Senectute C.* 13. Gutherius, *de Veteri Jure Pontif. L. I. C.* 3. Donatus, *in Elucid. ad Tacit. Ann. L. I. C.* 54. In Gruteri, *Face Tom. VI. p. m.* 132. Cellarius, *Antiq. Rom. L. I. Sect.* 2. *p. m.* 98. *No.* 2.

(9) Cicero, *Verr. I. C.* 37. *de Orat. L. II. C.* 49.

(10) Alias quoque derivationes habet Vossius, *in Etym. in voce* sodalis. Item M. Martinius, *in Lexico Philologico in voce* sodalis. J. D. van Lennep, *Etym. Ling. Graecae Edit.* ab E. Scheidio, *in Indic. Etym. Voc. Latin. Tom.* 2. *subject. p. m.* 1279 *in voce* sodalis.

(11) Plutarchus, *in Vita Numae p. m.* 71. *B. L.* 1. *ff. Quod cujusq. univ. nom. et ad eam Glossatores.*

(12) *L. ult. ff. de Colleg. et corporib.*

consilium, qui ad sublevendas res amicorum adversas, sine ulla restitutionis spe aut fiducia stipem, graece ἔρανον, conferebant (13); tamen et olim apparuerat, et sequens aetas miserrime ostendit, privatorum sodalitates sive coitiones plerumque fuisse Reipublicae cum periculosissimas, tum perniciosissimas (14). Igitur jam statim legibus XII Tabularum nocturna sodalitia sunt vetita (15), et deinceps etiam permultis legibus privata collegia sive sodalitates diserte sunt prohibita (16). Postea vero cum quoque ultimis praesertim Reipublicae temporibus, vis quaedam, maxime contractis sodalibus ejusdem factionis et coitionis, in comitiis erat adhibita, proprio illa nomine dicebatur *sodalitium*, quae populi corruptio per tribules sive sodales conscriptos, et decuriatos fiebat; at cum non tantum multitudine, sed etiam pecunia perageretur, tam ad vim, quam ad ambitum pertinebat (17). *Conscribere* enim erat verbum militare, et proprie significabat, novorum militum nomina in album inscribere, ut eorum usus esset ad depugnandum, vel in centurias redigere, ut militarent. Dein translatum est ad eos, qui ut populum corrumperent, in decurias de-

(13) De quibus v. P. Petitus *ad Legg. Attic. L. V. T. 7. p. m. 429. ibiq. aa. cc.*

(14) Plato, *de Legg. L. I. Edit. Basiliae a°. 1556. f°. p. 515. vs.* 9. ἐπεὶ καὶ τὰ γυμνάσια ταῦτα καὶ τὰ ξυσσίτια πολλὰ μὲν ἄλλα. νῦν ὠφελεῖ τὰς πόλεις, πρὸς δὲ τὰς στάσεις χαλεπά.

(15) Cicero, *de Legg. L. II. C.* 13, 14. E. C. d'Engelbronner, *Disput. ad Libr. Ciceron. de Legg. p. 67. nota E.*

(16) Quas plerasque omnes recenset Balduinus, *in Comment. ad Legg. XII. Tabb. C. 4. et ad Edict. Princ. Rom. de Christian. in Thesauro Juris Rom. et Attic. Tom.* 1. *p.* 74. *et* 1396. Manutius, *de Legg. C.* 30. *Ceterum de Sodalibus et Sodalitatibus* cf. Cicero, *pro Coelio C. 7. in fin.* ibique Abramius. *De Senectute C.* 13. *ubi* Cato major „ *se primum semper habuisse sodales,* ait, *et se quaestore, sodalitates constitutas, et in sacris idaeis magnae matris acceptas esse, quare epulabatur cum sodalibus.* ad quem locum cf. interpretes. Ernestus, *in Clave in Voce* sodalis.

(17) Sigonius, *de Judiciis L. II, Cap.* 30. ad Legem Liciniam.

describunt, ut, quid singulis daturi sint, pronuntient (18). *Decuriare* autem proprie significabat in decurias redigere, quod erat in turmas decem equitum referre (19): deinde translatum est ad omnium ordinum, inprimis ad senatorum, nomina in tabulas sive album annotanda, unde et postea hoc verbum usurpari coeptum est de iis, qui coitiones facerent, et ita congregarentur in quemdam ordinem, ut eorum fieret descriptio, quo facilius tribus largitione corrumperent (20). Atqui et conscriptionem, et decurationem partes criminis *sodalitii* fuisse, id vero ex oratione pro Plancio (21) abunde constat. „ *Decuriatio* inquit Cicero *Tribulium, descriptio populi, suffragia largitione devincta, severitatem senatus, et bonorum omnium vim ac dolorem excitarunt. Haec doce, haec profer, huc incumbe Laterensis, decuriasse Plancium, conscripsisse, sequestrem fuisse, pronuntiasse, divisisse*: et infra, *sic tu doce sequestrem fuisse, largitum esse, conscripsisse, tribules decuriasse*".

At quamquam hae praecipuae erant criminis sodalitii partes, tamen Plancius a Laterensi accusatus quoque videtur fuisse de corrupto a se per sequestres et divisores populo, quod proprium erat ambitus: „ *cujus tu tribus* (nam sic Laterensem alloquitur Cicero) *venditorem, et corruptorem, et sequestrem Plancium fuisse clamitas*" (22). Erant enim sequestres (23), apud quos deponene-

---

(18) Cf. Cicero, *Verr. I. C. ult. Post. Redit. ad Quirit. C.* 5. *Pro Sextio C.* 15. *ibique interpretes* Ernestus, *in clave Cicer. in Indic. Latin. in voc* conscribere et describere.

(19) Vossius, *in Etymolog. in voce* Decuriare.

(20) Manutius, *in notis ad Ciceron. Orat. pro Sextio C.* 15. *et ad Cicer. Epist. ad Qu. Fratr. L. II. Ep.* 3. Ernestus, *in clave in Indic. Latin. in voce* decuriare et decuria.

(21) *Cap.* 18, 19. *ibique* Manutius.

(22) Cicero, *pro Plancio C.* 16, 18, 19.

(23) Notiones *sequestri* occurrunt una apud Gellium, *Noct. Att. L. XX. C. ult.* altera apud Modestinum, *in L.* 110. *ff. de Verb. sign.* hanc multi sunt, qui reprehendant, magis philosophicas argutias,

nebatur pecunia: Nam non prius dabatur pecunia testibus, judicibus, aliisve, qui corrumpebantur, quam executi essent, quod promiserant; ideoque tamdiu apud sequestrem res litigiosa deponebatur (24). Et hinc etiam illi, qui aliquid promiserant, proprio verbo dicebantur *pronunciasse* (25). Divisores vero in comitiis populum in tribus aut classes, centuriasve dividebant, ad suffragia ferenda, et sic singulis civibus, cum quis largitione in populum uteretur, pecuniam in sua tribu dispertirentur. Habebat enim unaquaeque tribus suum divisorem (26), et quamquam illa ipsa divisio per se non turpis res fuerit, cum tamen per hos divisores commodissime suffragia corrumperentur, eorum nomen contu-

---

quam vocis origines a JCto traditas, caussantes. Sed operae pretium est, conferre Servium, *ad Virgilii Æneid. L. XI. vs.* 133. qui diligenter vocis vim aperit, quam Servii explanationem, suffragio corroboratam videas Heynei, viri illustris *ad eundem locum Maronis*; eximiae edit. ejus *T. III. p. m.* 492. Sed vide tamen Gronovium, *ad Tac. Ann. L. III. C.* 71. Schulting, *ad Dict. L.* 110. *de Verb. sign.* ibique conf. Smallenburgii, viri elegantis et accuratae doctrinae annotationem *p.* 57. Duplex autem vocis hujus occurrit significatus. 1°. Pro viro bono dicitur, qui rem litigiosam custodit. 2°. Pro eo, qui simul arbiter est electus; id quod frequenter factitari solitum testis addicit Plautus, *in Rudente A. IV. sc.* 3. *vs.* 65. Cf. quoque Apulejus, *Metamorph. L. VI. extr. et IX. ante medium* ibique Elmenhorst et J. L. Conradi, *Excursu* 8. *ad Gellium Noct. Att. L. XX. C. ult.* Fortasse tamen, omnium verissime ἀπὸ τῦ δικάζειν duxeris, unde δικάστης Laconica forma Σικάστης hinc *sequester*, quae quidem notatio maxime sese probaverat Menagio, JCto perillustri, quem videsis *Amoen. Jur. Civ. C. XXXIX. p. m.* 347, 348.

(24) Graevius, *ad locum Ciceronis pro Cluentio C.* 8. *in voce* quo sequestro.

(25) Cicero, *pro Cluentio C.* 29. *Verr. III. C.* 20. Suetonius, *in Caesare C.* 19. ibique *interpretes.* et Manutius, *ad Cicer. Ep. ad Qu. Fratr. L. II. Ep.* 5. Ernestus, *in Clave in Indic. Latin. in voce* pronuntiare.

(26) Cicero, *in Verrem. I. C.* 8.

tumeliosum, imo infame fuit habitum (27). At cum sequestratio et divisio non multitudine sive vi, ut conscriptio et decuriatio, sed pecunia perageretur, hae duae posteriores potius *species* erant ambitus (28).

§ II.

De Legibus, quibus olim sodalitii crimen fuit coercitum: De Lege Licinia.

Ubi vero permultis legibus olim Romae ambitus crimen fuit coercitum; primum Tribunitia, Poetilia; deinde aliis, vario tempore et usu prodeuntibus legibus, nempe Baebia Æmilia, Cornelia Fulvia, Maria, Fabia, Acilia Calpurnia, Tullia Aufidia, Pompeja, lege Julia Caesaris, et lege Julia Augusta, ei poena fuit imposita aquae et ignis interdictio, primo per decennium, postea vero perpetua, et honos a reo ad accusatorem transferebatur (1): ita etiam in sodalitii crimen gravissima poena fuit statuta; Anno enim U. C. DCLXXXXVII et sequentibus immanis fuit ambitus, ita quidem, ut nunquam par ejus fuerit ratio (2). Non tantum pecunia, sed maxima etiam adhibebatur vis, imo ferro et igne in comitiis decertabatur (3). Quare cum vel maxime multitudine, et in primis sodalitatum interventu, populi suffragia conciliarentur,

(27) Ernestus, *in Clave in Indic. Latin. in voce* divisor *et interpretes ad Locum Cicer. Verr. I. Cap.* 8.

(28) Cf. Sigonius, *de Judiciis, L. II. Cap.* 30.

(1) Cf. Sigonius, *de Judiciis L. II. C.* 30 Gravina, *de Origine Juris Civ. L. III. Cap.* 98. *p. m.* 427. Manntius, *de Legg. C.* 23. Ernestus, *in Clave Cicer. Indic. legg. in legg. citatas.*

(2) Cicero, *Epist. ad Attic. L. IV. Ep.* 15, 17, 18. *ad Qu. Fratr. L. II. Ep.* 15.

(3) Exempla habet Plutarchus, *in Vita Pompeji p. m.* 647. *in Catone Minore p. m.* 779. Dio Cass. *XXXIX. p. m.* 105. Valerius Maximus, *L. V. C.* 4. *No.* 4.

tur, Cn. Lentulo Marcellino et L. Marcio Philippo cosf. i. e. A. U. C. DCLXXXXVII. cum a. d. IV Idus Februarii Sextius ab indice Cn. Nerio de ambitu, et eodem die a quodam Marco Tullio de vi fuerat expoftulatus, Senatusconfultum factum est: „ ut fodalitates, decuriatique discederent: Lexque de iis ferretur, ut, qui non discesfisfent, ea poena, quae est de vi, tenerentur (4). At cum haec lex non fatis valeret, ad hominum animos a fodalitii fcelere devellendos, fequenti anno i. e. U. C. DCLXXXXVIII. Cn. Pompejo Magno, et Marco Licinio Crasfo iterum cosf. gravior poena conftituta est in eos, qui largitionem fecisfent, quafi vero ipfi minus deliquisfent, quod non pecunia, fed vi, id est fodalitatum confcriptione, et decuriatione magistratum adepti esfent (5), et hinc eo anno lata est lex illa memorabilis de fodalitiis a M. Licinio Crasfo *Licinia* dicta (6), quamquam multi, et fere omnes interpretes disfentiant de tempore quo lata est ea lex, utrum nempe A°. U. C. DCLXXXXVII, an DCLXXXXVIII lata fit; haec tamen dubia fententia ex computatione annorum videtur orta, cum omnes in eo confentiant, fub M. Licinio Crasfo et Cn. Pompejo magno, hanc legem primum invaluisfe, et hos confules A°. U. C. DCLXXXXVII, alii vero a°. DCLXXXXVIII. regnasfe putent. Imo anno antecedenti cum Lentulus Marcellinus et L. Marcius Philippus confules erant, nondum fingularem de fodalitiis exftitisfe legem, propterea mihi fit verofimile, quod libidinofa illa P. Clodii foror, quae tam vita quam moribus flagitiofa et infamis fuit, ut cum fratre flagitiorum certamen videatur iniisfe, eo anno falfo Marcum Coelium Equitem Romanum veneficii accufans, et fimul ei crimen ambitus et fodalitii objiciens (7), non ex hac lege Licinia accufationem fuam inftituit, quae tamen ei

(4) Cicero, *ad Qu. Fratr. L. II. Ep.* 3.
(5) Sunt verba Sigonii, *de Judiciis L. II. Cap.* 30. *ad legem Liciniam.*
(6) Cicero, *pro Plancio C.* 15, 20.
(7) Cicero, *pro Coelio C.* 7. *ibique interpretes.*

ei optimam datura fuisset occasionem, quam acerbissime sua tela in Coelium dirigendi (8). Verosimile est Plancium nostrum primum fuisse, qui e lege Licinia accusaretur (9). In oratione enim pro Plancio hujus legis, nisi unica, saltem praecipua exstat commemoratio, quare tota ex illa est cognoscenda. Erat autem lex severissima, nec tantum, quoad poenam, quam irrogabat, sed etiam quoad genus judicii. Exilio hujus criminis rei fuerant damnati. Cicero (10) enim sic judices compellat, „ *Nunc postulatur a vobis, ut ejus exsilio, qui creatus sit, judicium populi Romani reprehendatis*". Erat vero illud exsilium aquae et ignis interdictio decem annorum (11), et hinc forta-se explananda sunt Asconii verba (12). „ *Post quod statim nova lege Milo postulatus a duobus Appiis Clodiis adolescentibus, iisdem, a quibus antea familia ejus fuerat postulata, itemque de ambitu ab iisdem Appiis: et praeterea de vi a Q. Petulcio, et L. Cornificio: de sodalitiis a P. Fulvio Neratio: Postulatus autem erat, et de sodalitiis, et de ambitu, ea spe, quod primum judicium de vi futurum apparebat, quo eum damnatum iri confidebant, nec postea responsurum.*

---

(8) Miramur C. Sigonium in hac re in tam apertum ἀνεγερτίας peccatum incidisse (nisi potius μνημονικὸν ἁμάρτημα dicendum videtur, siquidem de magnis viris prudenter et modeste judicandum esse didicimus) in libro *de Judiciis L. II. C.* 30. *p. m.* 657. „ *Post Plancium inde M. Coelius, de quo in oratione.* „ *Haud scio an de ambitu, an de* „ *criminibus istius sodalium, ac sequestrium similiter respondendum putem*". Attamen Coelii judicium anno ante Plancii caussam agitatum videtur, cum et in tota illa oratione, ne verbum quidem inveniatur de lege Licinia. Ceterum cf. *argumenta* Manutii. Hottomanni, et Ernesti *ad dictam Orationem pro Coelio.*

(9) Nisi quis forte e *capite* 17. *Orat. pro Plancio*, intelligat, jam antea e lege Licinia judicium aliquod fuisse exercitum.

(10) *In Orat. pro Plancio C.* 3.

(11) Cicero, *pro Caecina C.* 34. *ibique interpretes.* Manutius, *de Legg. C.* 28. Sigonius, *de Judiciis L. II. C.* 3. *p. m* 536.

(12) *In Argumento Orationis Ciceron. pro Milon. in Edit. Graev. Tom. III. Pars.* 1. *p. m.* 780.

rum. Quod ſcilicet Milo exilio mulctatus, ei facultas futura non fuisſet contra ceteras accuſationes ſeſe defendendi, quippe omnibus civitatis juribus orbatus (13).

Jam quod genus judicii ſodalitii criminis ſpectat, illud erat cum huic accuſationi ſingulare, tum quoque difficillimum; ita quidem, ut qui vel partim tantum ſe hoc maleficio commaculasſet reus, facillime posſet convinci, nec ullum ei defenſionis ſupere esſet perfugium. Cum enim, primis Romani imperii temporibus, magna fuisſet contentio, cui, et apud quos, judiciorum dirimendorum foret potestas, et de ea re, permultae latae esſent leges (14), deinde inter tres ordines judicia lege Aurelia L. Cottae fuerunt communicata, nempe e ſenatu, ex equestribus, et tribunis aerariis (15): atque cum jam de ceteris criminibus majoribus Repetundarum, inter Sicarios, de Majeſtate, et aliis hi ſelecti judices a quaeſitore ſortirentur; de ſolo ſodalitii crimine accuſator ex univerſo populo edebat judices, quos vellet, qui propterea dicebantur *judices editii*, qui electis ſeu delectis judicibus erant oppoſiti (16), quae ſane editio ſummam habebat acerbitatem atque invidiam, cum ita actor ex omni populo posſet edere judices, quos aut ſibi amicos, aut reo inimicisſimos fore praeoptabat, aut denique eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles existimabat. Quod cum ipſe ſenatus cenſuisſet, nulla alia in re, niſi in

(13) Sigonius, *de Antiquo Jure Civ. Rom. L. II. C.* 18. *in f. p. m.* 420. *et de Judiciis L. II. C.* 3. *p. m.* 536.

(14) Quas omnes egregie more ſuo recenſet Manutius. *de Legg. C.* 15.

(15) De quibus videndus est Cicero, *in Orat. pro Cluentio C.* 43. *ibique interpretes.* Plinius, *Hiſt. Nat. L. XXXIII. C.* 2. C. Sigonius, *de Antiq. Jure Civ. Rom. L. II. C.* 18. Salmaſius, *de modo uſurarum C.* 3. Ernestus, *in clave Iudic. Legg. ad legem* Aureliam.

(16) Cicero, *pro Plancio C.* 15. *ibique interpretes, in primis* Manutius. Ernestus. *in clave in voce* edititius *et* edo.

in hac tribuaria (17); judices ab accuſatore edi voluit (18), in quo unam cauſſam mihi videor reperiſſe, quamobrem lex Licinia acerbitatis nota inſigniatur (19). At haec non ſola erat, cur maxime lex Licinia acerbisſima merito esſet habenda; nam alteram ejus rei cauſſam puto, quod cum in aliis Judiciis, id quod pervulgatum est, postquam ſortitio esſet facta, cum accuſatori, tum etiam reo permittebatur, ut e numero judicum rejicerent, quos ſibi ex aliqua re incommodos fore putarent; tum veterum Romanorum legibus esſet ſancitum, „ *Neminem non modo de exiſtimatione cujusquam, ſed ne pecuniaria quidem de re minima eſſe Judicem poſſe, niſi qui inter adverſarios convenisſet*" (20); in ſolo tamen ſodalitii judicio, judices ab accuſatore editi, nulla interpoſita rejectione, cauſſam cognoscere debebant(21). Rationem vero hujus ſingularis Judicii Cicero declarat, quod ſenatus exiſtimaverat, ſi reo judices ab accuſatore ederentur, accuſatorem eos eſſe editurum ex iis tribubus, quas reus cum de

---

(17) Quae ad tribus pertinebat, ſcilicet quod hae maxime ſodalitii crimine erant corruptae; vid. nota Lambini, *ad Ciceronis Orat. pro Plancio C.* 15. et in primis *docta annotatio* Ernesti, *in clave in indic. latin. ad voces* tribus et tribuarius.

(18) *Quid*, inquit, Cicero, *in Orat. pro Plancio C.* 16. *enim poteſt dicere, cur iſta editio non ſummam habeat acerbitatem, remota ratione illa, quam in decernendo ſecuti ſumus! Tu deligas ex omni populo aut amicos tuos, aut inimicos meos, aut denique eos, quos inexorabiles, quos inhumanos, quos crudeles existimes, tu me ignaro, nec opinante, inſcio, notes et tuos, et tuorum neceſſarios, vel iniquos meos, vel etiam defenſorum meorum? eodemque adjungas: quos natura putes aſperos, atque omnibus iniquos.*

(19) Sigonius, *de Antiquo Jure Civ. Rom. L. II. C.* 18. *p. m.* 419. putat hujus generis judicii ſimilitudinem aliquam retentam eſſe apud Siculos, ſuae conjecturae fundamentum petens e loco Ciceronis, *in Verrem. II. C.* 13.

(20) Cicero, *pro Cluentio C.* 43. *ibique interpretes.*

(21) Cicero, *pro Plancio C.* 15. *ibique cum* Manutii, *tum notae aliorum in Edit* Graevii. item Ernestus *in notis.*

descriptione tum etiam decuriatione, et ut uno verbo dicam, largitione devinctas haberet, ita fore, ut iidem et judices essent et testes, neque vero cuiquam melius de facti largitione constare posse, quam tribulibus, quorum scientia certissima; dolor autem e tribulium suorum culpa deberet esse gravissimus (22).

Quare profecto tertia ratio, ob quam Lex Licinia merito nuncupetur acerbissima, ea est consideranda, quae judices simul et testes esse voluerit in hoc criminali judicio. Res quae ab omni aevo, et ab omnibus populis constanter fuit vetita, ita ut jam Plato id in suis legibus statuerit (23). Et non solum Cajus Julius Decemvir maluit accusator esse apud populum ejus rei, cujus certissimam habebat testimonium, et de qua judex legitimus erat (24), verum etiam Licinius Sacerdos omnem operam impendit, ne in unam eandemque personam, et accusatoris, et testis, et judicis essent partes (25). Quodque semper sancitum est ne justa foret Medeae querimonia (26).

„*Qui statuit aliquid, parte inaudita altera,*
Aequum licet statuerit, haud aequus fuit."

Denique, ut eo facilius sodalitii crimen cognosceretur, accusatores magnum, uti in ambitu (27), praemium reportasse videntur; certe Asconius Paedianus (28) scribit *Milo apud Fa-vo-*

(22) Cicero, *pro Plancio l. c. ibique in primis* Manutius.

(23) Plato, *de Legg. Edit. Basil. p. m.* 623. *vs.* 33. ἐὰν δέ τις τινὰ δικάζοντα ἀνασήσηται μάρτυρα, μαρτυρήσας, μὴ διαψηφιζέσθω περὶ ταύτης τῆς δίκης.

(24) Uti narrat Livius, *L. III. C.* 33.

(25) Valerius Maximus, *L. IV.* C. I. *No.* 10.

(26) Apud Senecam, *Tragicum in Medea vs.* 199. Cf. Schulting, *de Recus. Judic. C.* 9. § 6. *inf.* Cujacius, *Obs. L. XII. C.* 19. *L. ult. C. de fidecommissis.*

(27) Cum in ambitu non tantum accusator praemium reportabat, verum etiam rei magistratum accipiebat; uti docet Manutius, *de Legg. C.* 28. forte etiam in sodalitii judicio hoc ita obtinuit.

(28) *In notis ad Orationem pro Milone C.* 35. ad verba plebem et in-

vonium quaestorem de sodalitiis damnatus est, accusante P. Fulvio Nerato, cui lege praemium datum est! Patet igitur, Milonem quoque de sodalitiis fuisse accusatum, cujus cum judicium peractum sit a. d. VI. Idus Aprilis, Cn. Pompejo ter, et Q. Metello Scipione cosf. (29), sive A°. U. C. DCCI. tres annos post latam legem Liciniam, profecto nullum dubium superest, quin P. Fulvius Neratus, eam fundamentum suae accusationis in Milonem sumserit: certe anno sequenti M. Marcello et Servio Sulpicio cosf. M. Valerius Messala e lege Licinia videtur accusatus, et condemnatus; nec mirum: quamquam enim Messala ille, vir fuerit alias prudens, acutus, minime incautus, et patronus in caussis cognoscendis commonendisque diligens, magni laboris, multae operae, multarumque caussarum (30), saepe tamen se ambitus scelere commaculavit, et cum anno ante consul fuerit creatus ex interregno per Ambitum, cum Cn. Domitio Calvino, A°. U. C. DCC. ambitus quoque reus factus, sed tamen absolutus est (31). At iterum eodem crimine in judicium est vocatus, et quidem duplici actione, de ambitu, et de Sodalitiis. Ambitus judicium evasit sola Hortensii eloquentia, et praeter opinionem (32). At legis

---

infimam multitudinem, *Edit.* Graev. *Tom. III. P. I. p. m.* 945.

(29) Cf. idem Asconius, *in argumento Orat. pro Milone supra citato Edit. Graev. T. III. P. I. p. m.* 780.

(30) Cicero, *in Bruto C.* 70.

(31) Cicero, *Ep. ad Qu. Fratr. L. III. Ep.* 8.

(32) Nam licet Cicero, *in Bruto C.* 96. declaret Hortensium maxime ea defensione probasse se magnum esse oratorem, Cf. Valerius Maximus, *L. V. C. 9. No.* 2. ipse tamen Hortensius multum inde ignominiae traxit, conf. Epistola Coelii, *ad Ciceronem Divers. VIII. Ep.* 2. Mihi vero nullum dubium est, quin in citata Epistola 2. Legis Liciniae de Sodalitiis mentio fiat, secutus Manutium, Ernestumque *in notis.* Nec facile assentirem Corrado statuenti *legem Liciniam de Civibus regundis* ibi commemorari, cum et nul-

gis Liciniae Judicio, quod Messalae erat relictum, quoque maxime periculo esse videbatur, condemnatus est (33).

Ceterum equidem nullibi praeterea amplius de hac sodalitiorum lege quidquam proditum inveni, quae fortasse posteriori aevo, in desuetudinem abierit. Cumque Tiberii tempore, comitia ad senatum, et a senatu ad principem sunt translata, omnis ambitus in urbe cessavit, etiam sodalitii crimen amplius committi potuisse non crediderim (34). Quare cum ea, quae nobis maxime memoratu digna viderentur, annotavimus, et quoad juvenis doctrina sineret, sensum legis explicuimus, nunc ad ultimum disputationis caput progrediamur.

C A P U T Q U A R T U M.

ENARRATIO ARGUMENTORUM, QUAE, UT PLANCIUM SODALITII CRIMINE PURGARET, CICERO EXCOGITAVIT.

Quamquam in nullo non doctrinae ac rationis genere excellens atque admirabile fuit Ciceronis ingenium, summa tamen ejus virtus ac perfectio in orationibus cernitur. Haec Wyttenbachii

---

ibi fiat mentio, Messalam lege Licinia Mucia fuisse accusatum, sed utique de ambitu, cujus sodalitium erat crimen gravissimum.

(33) Cicero, *Ep. Divers. L VIII. Ep.* 2, 4.

(34) Sigonius, *de Judiciis L. II. C.* 30. *in fine*, *ad legem Juliam Augusti* et *L. unic. pr. ff. ad Legem Juliam de ambitu* et *ad eam interpretes*.

chii (1) viri summi verba, equidem verissima cum saepe alias inveni, tum in primis ex quo tempore hanc pro Cn. Plancio Orationem diligentius coepissem tractare, quam, quoties legi et relegi, toties et Ciceronis eloquentiam, et ingenium ejus, atque argumentorum inveniendorum sollertiam satis admirari non potui, venitque mihi saepe in mentem egregii illius, quod de Cicerone prodidit judicii J. M. Gesnerus (2), literarum in Germania quondam princeps, cujus verba temperare mihi non possum, quin mea faciam. „ *Talis ac tantus Vir in Republica cum esset Cicero, qui neque suae, neque cujusquam aetatis regi quidquam concederet, altius tamen inter doctos, et eloquentes, quam potentes inter, atque nobiles caput extulit: cui principatum eloquentiae (divinae rei, reliquaeque magnitudinis ipsius, ipso fatente, conciliatricis) ita omnis consecuta aetas concesserit, ut nihil sapere, qui aliter sapiunt, videantur, ab insania autem non procul abesse, si qui, cum illo contendere se dicendo posse, arbitrentur.* Cujus quidem splendidissimae Ciceronis a Gesnero, positae laudationis, documentum exstat eximium, ea, quam cum maxime pertractamus, Oratio pro Plancio, qua non solum ceteros oratores omnes, sed semet adeo ipsum superasse Marcum Tullium, nemo aequus existimator negabit. Amplior vero hujus dicti veritatem demonstrandi nunc mihi nascitur occasio, cum non quidem ut ego velim, sed ut possim paucis enarrare aggredior argumenta, quae, ut Plancium *Sodalitii* crimine purgaret, Cicero excogitavit.

Eximio exordio inchoat Cicero suam pro Plancio Orationem, quae partim consistit in defensione totius caussae, partim in refellendis argumentis, quae Laterensis subscriptor Cassius, non tantum in ipsum reum, sed in oratorem quoque protulerat.

De singulis quidem brevitatis caussa nunc non agemus, et tan-

(1) *In Biblioth Critica Vol I. P. 2. p.* 1.
(2) *In citata Commendatione Epist. Ciceronis ad Divers. Oper.* Gesneri, *Vol. I. p. m.* 47.

tantum ea argumenta exponemus, quibus Cicero defendit „*Plancium legis Liciniae non esse reum.*"

In quatuordecim prioribus Orationis capitibus Cicero facillime Judicibus persuaserat; Plancium non largitione sed meritis factum esse aedilem, totamque Laterensis accusationem esse levem, inanem, et sola ex invidia natam; In capite decimo quinto ipsum Laterensem suae accusationis levitatis, haudquaquam fuisse ignarum subtiliter ostendit orator, cum *primum* genus judicii elegerit, e quo nulla ei exorta erat actio, *deinde* illud genus in agendo non ita observaverit, uti a lege erat praescriptum. Igitur Cicero Laterensem propius aliquando ad caussam vocat, eique objicit, quod tantum nomine legis Liciniae Plancium in Judicium vocaverit, ut haberet Judices editios, quamquam sodalitii criminis nullum haberet argumentum, et haesitans, se ad communem ambitus caussam contulerit, omnesque leges de ambitu complexus fuerit, nec tamen illud, de quo crimine lata sit lex Licinia attigerit. Modeste quidem orator tum occasionem sumit, acerbitatem hujus legis Liciniae exponendi, quam tamen acerbitatem, non ita plane aspernatur, ut primam et veram ejus rationem se haud intelligere ostendat; quam, cum non secutus fuerit Laterensis, nec genus judicii, quod elegit, servaverit: (Ediderat enim Judices e tribubus cum quibus Plancius, ex ipsius Laterensis sermone nihil commune fuerat; ex iis vero de quibus eum criminaretur, partim sibi habuisse venales, partim ab eo fuisse corruptas, nullum attulerat judicem ;) perspicuum erat Laterensem non ad sententiam legis, sed ad suam spem, judices de civitate delegisse (3). Amplificat hoc argumentum orator, ut accurate inqui-

(3) Cf. Cicero, *in Orat. pro Plancio* C. 16, 17. quamquam vero supra vidimus, e sententia legis Liciniae omnem judicum rejectionem esse vetitam, tamen cum in his orationis capitibus saepe occurrat mentio rejectionis qua Plancius noluisset uti, conjicimus, forte consensu partium ab hoc legis instituto recessum, et rejectionem nonnunquam adhibitam fuisse, quod viderent eo maxime legem Liciniam fuis-

quirat, quorsum et quatenus ambire liceat, quae in petitione dignitatum sint observanda, quaeque revera crimen ambitus aut sodalitii spirarent, et quae ab accusatore fuisssent adserenda, ut jure suo Plancium sodalitii criminis faceret reum. Cum enim tantum decuriatio tribulium, descriptio populi, suffragii largitione devincta; severitatem senatus, et bonorum omnium vim ac dolorem excitaverint, et haec tantum, ut vindicarentur, prospiceret acerbissima lex Licinia, ea quoque in sua accusatione proferre et docere debuisset Laterensis; scilicet aut conscripsisse, aut sequestrem fuisse, aut pronunciasse, aut divisisse Plancium, quae nec proferre potuit nec instituit falsus ille accusator (4). Ne vero invidiosa verba, in vulgus a Laterensi prolata, nimium obfutura essent *gratiae*, *observantiae*, *sodalitatis*, eadem honestam quoque habere significationem ostendit, cumque Plancius ab omnibus illis criminibus fuerit immunis, accusatorem provocat, ut et maledicta affirmet, et debitum agendi modum amplectatur.

Ut tamen Laterensis accusationi suae aliquam veri speciem afferret, duo Plancio praecipua ambitus objecerat crimina, *coitionis*, et *sequestrium* (5). Ad coitionem inter Plotium et Plancium probandam duobus maxime accusator usus fuerat argumentis: Primum, cum tribus plerasque cum Plotio tulerit Plancius, dein, quod nonnullas tribus cum Plotio tulerit punctis (6) paene totidem. — Utrius-

---

fuisse acerbam. Cui conjecturae in primis locum faciunt verba in C. 17. Orationis „ *an vero nuper — rejiciamus*". Si enim nulla rejectio adfuisset, quid significaret, quod Cicero dixit tribum Meciam a Laterensi esse editam, non quae judicaret, *sed quae* rejiceretur C. 16. Doctioribus tamen hanc quaestionem dijudicandam relinquimus.

(4) Cicer. *in Orat pro Planc.* C. 18, 19.

(5) In *Capite* 22 *et* 23.

(6) Punctum proprie nihil aliud h. l. significat, quam suffragium, et hinc qui omnia adeptus erat suffragia dicebatur *omne tulisse punctum* unde Horatianum, illud

Omne tulit punctum, qui miscuit utile dulci,

in

Utriusque vero objectionis levitas erat aperta; quomodo enim una fieri potuissent, si una tribus non tulissent, cum vero in superioribus comitiis aediles prope jam facti erant, et sic declarati ad comitia aedilitia venissent, nulla quidem propter punctorum paritatem coitionis suspicio oriri poterat, neque enim unquam veteres Romani sortitionem (7) constituissent aedilitiam, nisi viderent accidere posse, ut competitores pares suffragiis essent. Aliam quoque coitionis suspicionem induxerat Laterensis, ajens sibi prioribus comitiis a Plotio et Plancio concessas esse duas tribus, postea vero ne in angustum venirent, eas tribus ab utroque sibi avulsas esse; quod confutat Cicero, cum ostendit, quando sibi *concessas* dicit Laterensis, tunc ei quidem *utique*, Plancio vero et Plotio *haudquaquam fuisse* necessarias, quando vero dicit *avulsas*, tunc omnino Plancio quoque et Plotio *fuisse* necessarias, quia superioribus comitiis jam erant declarati, sic ut contrarium hujus suspicionis ex incerta mente Plancii et Plotii satis appareat (8). At instabat tamen actor, se plures habere testes, de una Voltinia tribu, quam quot in ea tribu puncta tulerit. Sed illos testes nullam mereri fidem perspicuum est, cum illos, vel consitente Laterense, Plancius corruperit, ut Laterensem praeterierint, vel Laterenʹ

---

in Arte poetica vs. 343. In comitiis enim cum circumferebantur ceratae tabulae, in quibus candidatorum nomina erant inscripta, quisque quoad sentiebat punctum annotabat Cf. Cicero *Tusc. Disp. L. II. C.* 16. *Oratio pro Murena C.* 35. ibique *interpretes.* ceterum ad *hunc locum pro Plancio, C.* 22. in primis videndus est Lambinus, nec non Manutius, *aliique interpretes.*

(7) De sortione aedilitia, quae fiebat cum competitores aedilitatis pares erant suffragiis, vid Cicero, *Phil. II. C.* 33. ibique Abramius, Gesner, *ad Varron de Re Rust. III. C. ult.*

(8) Ant. Luschus, *Vicentinus Orator Clarissimus in inquisitione super undecim Orationes Ciceronis, una edita cum Q. Asconii Paediani enarrationibus in Ciceronis Orationes. Lutetiae Ao.* 1520. *fol.* interpretationem huius loci quidem affert, at nisi librariorum vitio sit corrupta, plane est absurda, et vix intelligenda,

rensis ipse cum illum jam praeteriissent, pecunia emtos ad dicendum testimonium adduxerit (9). Igitur coitio non erat facta; nec etiam nummi erant depositi, aut in circo Flaminio deprehensi, cujus rumoris falsitatem demonstrat Cicero, cum caluerit in re recenti illud crimen, postea vero in caussa refrixerit; neque etiam ipse actor ostendere potuit, qui illi nummi, nec quae tribus, nec qui divisor fuerit, et is quoque, qui quondam a Laterensi ad consules fuerat eductus, se inique jactatum, graviter fuerat conquestus. Tandem hanc argumentationem concludit Cicero disputando: primum, adversus testes a Laterensi productos, qui nihil aliud studuerant, nisi ut moverent animos judicum suis testimoniis, aut gratum populo Romano facerent, aut ab eo facilius ob eam caussam dignitatem, quam vellent, consequerentur: deinde, adversus falsos rumores, quibus haud credi oporteat, cum tantum ex maledicto suam traxerint originem, nihilque eo sit volucrius, nihil emittatur facilius, nihil citius excipiatur, nihil latius discipetur (10).

CON-

(9) Cf. ad materiam de testibus *L.* 33. *ff. de Re jud. L.* 5, 27. *Cod. de Testib.*

(10) Quamquam haec omnia, ut brevitati studeremus, ex Oratione Ciceronis contraximus, et ea tantum attigimus, quae ad *ipsam accusationem* seu *legem Liciniam* spectarent, tamen silentio praeterire noluimus.

1°. Verba **Manutii.** *in libro de Legg. C.* 28. ubi cum egerat de laudationibus, quas Pompejus, eumque secutus Marcus Cato in Orationibus seu defensionibus non amplius adhibendas sanciverant, earum legum, Plancianum Judicium caussam fuisse dixit, quae verba profecto de hoc Judicio Planciano non sunt intelligenda; quippe **Plutarchus**, *in vita Pompeji pag. m.* 649. *A. B.* narrat, Munatii Plancii laudationem quam adhibuerat Pompejus, a M. Catone fuisse suppressam.

2°. Uti nos defendimus M. T. Ciceronem praeclarum fuisse ICtum, ita etiam hâc suâ doctrinâ lepide utitur, cum respondeat Cassio, qui objecerat, plus eum Plancio tribuisse quam bonis omnibus, quibus aeque sua salus cara fuerit quam reo, cognitâ illâ ICtorum formulâ *dies cedere et venire*, quam ad gratiam referendam adhibens, distinctionem inter

CONCLUSIO.

E singulis argumentis, quae sive ad criminationem legis Liciniae spectarent, sive ad alia falsa atque maledicta mendacia, quae accusator in Plancium proferre ausus est, quaeque omnia subtiliter, et suo more in hac Oratione proposuit Cicero, satis perspicuum est, hunc reum non largitione, sed meritis, et sola populi voluntate aedilitatem adeptum fuisse; Laterensem contra et male actionem suam instituisse, et perversis fuisse usum argumentis. Quare haud aliter evenire potest, quam ut qui recte judicet, Plancium ab omni crimine purum, ab omni poena liberum declaret. Utrum vero haec eximia Oratio talem habuerit exitum, qualem futurum speraverit Cicero, certum pronuntiare non ausim.

At male ego nunc praeceptorum, quae modo ex Ciceronis Oratione commemoravi, memor sim, si jam huic disputationi finem imponam; antequam grati quoque animi mei aliquam saltem significationem tibi tribuerim consultissime d'Engelbronner, qui multis ac variis districtus negotiis mihi, cognato tuo et discipulo non modo ad Graecarum et Latinarum scientiam literarum, verum etiam ad jurisprudentiae notitiam produxisti, et unus mihi juris doctrinae praeceptor exstitisti; ego quomodo tuis erga me meritis unquam respondeam, non habeo, illud de me existimes, cum gratiam tibi referam, me tamen eam semper habi-

---

ter pecuniae et gratiae debitionem ostendit; Cf. C. 28. *Orat.* vid. Gellius, *N. A. L. I. C* 4, ibique interpretes et Lambinus, *in notis ad Planc. Orat. l. c.* qui recte contra Gellii rhetorem Antonium veram Ciceronis sententiam de habenda et referenda gratia, et de comparatione inter pecuniae et gratiae debitionem affert. Cf. Cicero, *in Orat. post Red. ad Quir. C.* 9. in fine, ibique interpp. *De Officiis C.* 19. *med.*

biturum, et in eo ipſo, quod habeam, tibi relaturum ſperare. Verba quidem mihi nunc deſunt, et ſemper deërunt, quibus commemorem amicitiam, conjunctionem, amorem, pietatem, omniaque illa afficia, quae et diſcipulus et amicus Tibi debeo; quare quo parcius animi illa ſenſa mei foras prodo, eo verius intus aluntur, et alta mente repoſta manent. Uti vero tua diſciplina me dignum praebere ſemper optavi, ſic et tu praeceptor optime cariſſime, ne mihi detrahas tuam benivolentiam obſecro. Memoriam profecto nunquam exuam quadriennii illius, quo tecum et cum tuis una me habitare licuit, et uti ſtationem tuam Medioburgenſem, in qua nunc poſitus es, vivasque precor cum volente et juvante Deo, et tibi et bonis literis gratulor, ita tamen non niſi magna cum triſtitia illius diei recordor.

Quo tot mihi cara reliqui
Cujus et admonitu fit novus ipſe dolor.

Accipias igitur velim meam qualemcumque grati animi teſtificationem, non illam quidem diſertam; at certam et veram, cujus et tibi perſuaſum eſſe pervelim, et me nunquam immemorem futurum certo ſcias. Neque hanc integri animi profeſſionem idcirco poſui, ut aſſentatiunculâ tuam mihi benivolentiam conciliarem, quandoquidem neque Ego is ſum qui vel Tui, vel cujusquam gratiam eblandiri mihi ſolitus ſim, neque Tu is es, qui non gratuitam benivolentiam bene merentibus ultro tribuas, quibus ut me vere annumerare perpetuo queas, ſedulo ego annitar, atque operam ſemper dabo.

TANTUM.

THESES.

I.

Cicero non abjecto animo tulit exsilium.

II.

Propter dubiam, vel propter certam quidem, at leviorem, injuriam non oportet cives vi resistere summo civitatis Rectori.

III.

Testamenta ac similes hominum voluntates supremae, in jure naturae fundamentum stabilitumque exordium habent, e jure civili formam et solennitates accipiunt.

IV.

Coecus potest ad judicis officium admitti.

V.

Contractus bonae fidei ob metum sunt ipso jure nulli, si laesus hoc velit.

VI.

Negotiorum gestor tenetur etiam de culpa levissima.

VII.

Quamquam non omnis petitio hereditatis est querela inofficiosi (est enim illa quasi genus quoddam, cui plures formae seu species subjectae sunt) attamen querela inofficiosi testamenti nihil aliud est, quam petitio hereditatis ex caussa inofficiosi testamenti.

VIII.

Lex 6. ff. de transactionibus *non docet, transactionem de controversiis, ex testamento vel codicillis profectis, irritam esse, nisi ante inspecta sint verba tabularum.*

IX.

Non magis de crimine falsi, quam de ceteris criminibus publicis fas est transigere, neque contrarium docet L. 18. C. de transact.

X.

Paroemia belgica: de bloedige hand neemt geen erfenisse : *habet exceptionem in marito, qui adulterae in flagranti delicto uxoris interfectae heres, poenae remissionem nactus est.*

